
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
11 M b
13
57
14-1-6-4

PAVLI BVSII IC.
ZUOLLANI,
In illustri Academia Franekerana Antecessoris,

DE
REPUBLICA
LIBRI TRES.

Quibus tota Politicæ Ratio nova & succincta methodo ingenuæ eiusdem Praxi applicatur.

Præmissa est brevis exegesis, & subjuncti Illustres APHORISMI POLITICI, *quibus pleræque controversiæ ejusdem doctrinæ explicantur.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM
Typis JOANNIS FRIDERICI WEISSI.
ANNO M. DCXXVI.



AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, CONSVLTISSIMISque Dominis,

INCLYTAE REIPVBLICAE Leovvardiensis Consulibus & Senatoribus, S. P.

DE Republica, viri Amplissimi, auctores complures scripsere, & quidem ex priscis Plato, Xenophon, Aristoteles, mox & Cicero ac Plutarchus, ea in re meruere laudem præclaram; Post eos tamen sopita aliquandiu in universum tota hæc doctrina videtur, & paucissimi in partibus tantum eam attigere. Sed id eo quod Principum ævo Iurisconsultorum opera maxime adhibita sit reipublicæ moderandæ, eoque fere scientia omnis hęc eorundem contineatur monumentis. Non quod eandem angustiis Romani Iuris comprehendi censeamus (quanta quanta enim

illa est, vt artes ceteræ, populis omnibus eadem est) sed quod ius istud vt plerisque, ita vel maxime in publicis mutuo acceptum sit ex gentium omnium sancitis. Verum ex recentioribus ea in re tractanda nonnulli cum versati ita fuissent, vt & veterum laudem superasse videantur, mihi profecto nunquam ante vel in mentem venit insumere operam aliquam rei præstantissimæ excolendæ. At cum propositis disputationibus politicis, diuersi studiosi Academiæ nostræ quærerentur nullum sibi facile tractatum obuium esse, quo breuiter & methodice doctrina hæc ad vsum accommodata explicaretur: isti ipsi me instanter rogauere, vt synopsi aliqua breui eis hac in re præirem. Et obtinuere facile posteaquam, bene subducta ratione, deprehendi quidem exstare compendia nonnulla eiusdem doctrinæ, sed conclusa fere principiis philosophiæ extremis. Itaque in hoc tractatu ambagibus pariter & nimia breuitate vitatis, ingenuam methodum affectamus, & medullam insuper doctrinæ totius, ex omnium ætatũ monumentis ad

vsum

vſum ipſum applicatam. Sed cum pro more mihi diſpiciendum de aliquo patrocinio foret, occurrebat Ordo Veſter dignißimus, & ciuitatis eminentißimæ, inter ceteras vrbes prouinciæ totius, ſupremus. Deberi enim Reipublicæ alicui Principi, ſeu Primariæ de Republica ipſa conſcriptum opus iudicabam. Patrocinio igitur veſtro illud ſubmitto, quo fiet vt prouiſum mihi aduerſus calumniantium maledicta ſit. Igitur ſi probari dedicationem hanc ſenſero vobis, VV. NN. & AA. erit in quo læter ſummo iure.

Ampliß. Ord. veſtro deditißimus.

PAVLVS BVSIVS
I C. & Anteceſſor.



EXEGESIS CAPITVM,

LIBRI PRIMI

Caput I.

Politica est doctrina Reipublicæ rite tractandæ seu gerendæ. Est n. magis practica quam speculativa.

II. *Ejus obiectum est Respublica ipsa, à Re, hoc est Imperio Publico dicta.*

III. *Est autem ea Vniversitas cuiuscunque totius legitimæ civitatis.*

IV. *Legitimæ vero Civitatis propria nota est*, Imperium bonis institutis ad vindicandum cives omnes ac singulos à vi atq; iniuriis, societatemq; civilem inter eos perpetuo cõservandam compositum. *Bona tamen intelligimus & quæ non optima, imo & inter quæ complura prava, modo summa eorum contendat ad propositum finem.*

V. *Respublica omnis alia Superior est alia Inferior. Illa est quæ superiori Reipublicæ non subest, hæc contra quæ subest.*

VI. *Reipublicæ partes duæ sunt, Civitas, puta, & eiusdem status. Civitas est ipsorum civium corpus seu multitudo. In Civitate consideramus primo cives singulos, & eorum diversam qualitatem, dein ius cuique in familiis, clientelis & corporibus privatis permissum. Civis vero est homo liber supremo alicui imperio subiectus. Qui tamen alteri quam civitatis*

nostræ

nostræ imperio paret, huic peregrinus est, nisi sit ex populo fœderato, is enim socius est.

VII. *Civium alii fere sunt urbani qui in urbibus degunt, alii agrestes seu provinciales qui degunt extra eam. Et horum illi plerunque maioribus privilegiis, hi minoribus gaudent.*

VIII. *Rursus alii Nobiles sunt, alii Plebeii. Nobiles fere censentur qui virtute vel meritis propriis clari sunt, honorabilibusve parentibus orti; Plebei vero ceteri sunt.*

IX. *Civitas autem quaeritur variis modis; puta, nativitate, cooptatione, nuptiis, & aliis. Qui singuli quales sint, ex moribus locorum dependet.*

X. *Ad ius singulis privatim permissum ut transeamus, primo occurrit potestas familiaris. Familia vero nobis hic est, Corpus personarum quae sub unius patrisfamilias privata sunt potestate, cuius puta pater ipse membrum est. Interea tamen dicitur familia etiam quae patremf milias non habet, sed abusive. Ut & vice versa paterfamilias dicitur quandoq; iuris respectu cui actu ipso familia nulla est. Sed familiam ipso actu constituent personae tres, arg. l. Neratius. De Verb. Sign.*

XI. *Ius patrisfamilias est vel in res vel in personas. Re vero quaq; sua uti vel abuti pro arbitrio potest, modo alterum non laedat, nec re sua abutatur male. Quoniam ne id fiat, reipublicae interest. Potestas in personas alia est in servos & famulos, alia in liberos, alia in uxores.*

Ad priorem in servos quod attinet ea olim absoluta fuit, & arbitraria etiam in vitam ac necem, sed Prin-

cipum Constitutionibus temperata In famulos, liberos, uxorem hodie tantum modica animadversio permissa est, licet in posteriores hos olim quoque potestas maior fuerit.

XII. *Clientela est ius quo quis alterius defensioni subiectus est, qui eundem iure mutuo adversus vim & potentiam privatorum defendere tenetur.*

Et hanc in civitatibus maioribus ad praeveniendum iniurias potentiorum tuto putamus tolerari. Modo abstineatur à clientela totarum tribuum aut regionum, quoniam ea reipublicae futura sit periculosa.

XIII. *Collegium seu corpus est universitas plurium civium, qui in certum aliquem finem societatem contrahunt ad similitudinem civitatis. Eius generis quae sunt, & ad publicam utilitatem tendunt, tolerantur, cetera illicita reputantur. Disponere vero eis tantum permissum est de rebus pertinentibus ad suam societatem.*

LIBER II.

CAPUT I.

Status est pars Reipublicae, qua continentur Constitutio & Ordo Publicus totius civitatis. Hic igitur Graecis communiter πολιτεία, Aristoteli vita, Isocrati anima civitatis dictus est.

In eo considerat Politicus primo Constitutionem ipsam, dein media externa eiusdem conservanda.

Constitutio interior posita est in Principatu, Muneribus Publicis, & Civium Ordinibus.

Princi-

Principatus vero vox alias homonyma, & pro quocunque primatu accepta hoc loco designat Reipublicæ ipsius summam, quam & alio nomine Maiestatem, seu ius Maiestatis nuncupamus. Id igitur qui habet Princeps est.

Est autem Maiestatis Ius & Potestas reipublicæ suprema & legibus soluta. Sæpe tamen Princeps alteri subiectus Rex aut Princeps nuncupatur & ei maiestas quædam tribuitur, item civitatibus alteri subiectis Reip. Summa. Sed hoc omne καθ' ὁμωνυμίαν. Summa enim eis æquivoce tribuitur, reipublicæ vero vox universitati utrique generice. vi. supra c. 5.

II. *Maiestatis vero propriæ, hoc est supremæ notæ tametsi variæ sint, potissima tamen, & à qua cetera dependent, est ius legis condendæ & abrogandæ supremum.*

III. *Status vero omnis vel purus est vel compositus. Purus, ut Dominatus; Compositus, ut Principatus.*

Dominatus est Principatus Absolutus, in quo rei Summa in populum eum qui Dominatui paret, à libero dominantis arbitrio dependet. Cuiusmodi hodie in Europa sunt Dominatus Turcarum & Moscovitarum; in Asia Persarum & Tartarorum; Hispanorum in Asia, Aphrica America, Peruana.

IV. *Altera status divisione alius dicitur Monarchia, alius Aristocratia, alius Democratia*

Monarchia est status cuius Summæ unus præest. Hic si dominatus sit nulli Ordini Optimatum aut populi ulla ratione astrictus est: si vero principatus in specie, Ordini quidem Optimatum seu senatus aut Po-

puli in Summa rei est astrictus ita tamen ut dignitate & potestate sit supra eum.

Senatus vero est collegium civiũ, cui de republica Summa nq; eius concernentibus consulendi statuendique vel seorsim, vel una cum Principe iure suo authoritas est. Consilia igitur Principum (quæ aulica vulgo) non ex Senatu lecta, Senatus nomine non veniunt, quia non cognoscunt iure suo.

V. Aristocratia est status Optimatum, in quo pauciores reipublicæ summam obtinent; Democratia, in quo eam obtinet maior civium pars.

In utroque hoc statu Senatus prope refert imaginem Principatus, sed magis proprie in Aristocratia. Licet & in Democratia Senatus plerunque Reipublicæ habeat administrationem.

VI. Denique & his consequens est aliquem statum mixtum esse, cum & Senatus in Principatu & in Democratia per se una cum Principe aut Populo participet rereipublicæ summam.

VII. Cum & in Principatu Princeps ipse quadam ratione astrictus Senatui sit, & in gravioribus reip. negotiis eum consulere teneatur, Nisi tamen ex causa consultum sit pro re nata quid seorsim statui, nec occasio ferat Ordinis amplissimi consilio uti.

VIII. Ordo in Senatoribus interrogandis iste commendatur ut Princeps ex prudentioribus nonnullos habeat familiares, quos prius consulat quam rem multitudini communicet, ut, puta res ita facilius peragatur; Dein ut prius rogentur ii qui necdum gesserũt magistratus; ne sc. horum suffragiis obstruatur authoritati cæterorum si ij consulant prius.

Officium

Officium Senatorum est, ut omni ineptitudine & consideratione rei propria postposita, consulant publico bono.

IX. *Explicata status Summa, & generibus eius diversis sequitur nunc de Muneribus.*

Munera nobis sunt Officia reipublicæ nomine comparata.

Horum alia sunt cum potestate, ut Magistratus, alia sine potestate, ut Curationes.

Magistratus est qui iurisdictioni & imperio officii ratione præest. Officii ratione dicimus ut eum separemus a potestate Principis ipsius, qui iurisdictionem interdum exercet, non vigore officii (quod nullum ei, ut quidem nos id accipimus tribui potest) sed ratione potestatis supremæ, seu maiestatis, à qua universitas reliqua status totius dependet.

Officium Magistratuum est ut iudicent ex præscripto legum & iuris recepti. Vt enim Princeps seu Maiestas fere in potestate sua legem habet, sic lex ipsa magistratum. Facti tamen quæstio in eius arbitrio est. Quod in dubio verum est indistincte, in iis vero quæ certo probantur diversum. Probationes enim manifestas reiicere nequit, quin litem faciat suam.

X. *Magistratum igitur, ut recte iudicet, magnanimum esse oportet & prudentem. Vt puta nec à Principe, potentioribus, honoratis, aut improbis metu, corruptione, aut gratia etiam miserorum à recto iusti tramite flectatur.*

XI. *Neq; decet magistratum aliter Principi auscultare quam precipienti iusta, quæ vero extra ea mandantur, reiicere prorsus. tot. tit de Præt. Imp. Off.*

XII.

XII. Quod si ita est multo minus par est vt magistratus minor auscultet magistratui maiori minus aqua pracipienti.

XIII. Quando vero conueniens est vt Princeps item & Magistratus ex legibus agant, quo nimirum constet populo quod ius eis obseruandum sit, consequens est, vt leges ipsa vinculum ciuitatis pariter & status totius sint. De his igitur rogandis vel mutandis obseruandum: Constituendas eas maxime appositas moribus & natura populorum. Modo illud in primis obseruetur, quam maxime flectendas eas Ratione & Iure Diuino, dein vt bene merentibus pramia, delinquentibus pœnas iustas irrogent.

XIV. Munera, sine imperio seu potestate, sunt publica curationes. Harum vero administrationem qui habent speciali interdum nomine dicuntur Curatores. Cuiusmodi sunt & Iudices, qui sine imperio sunt, item legati, syndici, secretarii, curatores viarum, portuum, procuratores publici, & similes.

In horum muneribus generatim obseruandum, ne facile transiliant mandatorum fines, omniaque ex fide bono publico peragant.

XV. Sequitur de Ordine ciuium, is vero duplex est, Primus quo multitudo distinguitur conuocanda eiusdem causa in tribus distinctas, idque aut in collegia, verbi gratia, opificum, negotiatorum, sodalium aliorum, aut in tribus regionum loco distinctas vel censu.

Alter ordo est inter ciuium genera vel dignitate vel conditione inter se diuersa. Hic enim illud postulat vt digniores minus dignis pracedant. Qua in re enu-

enumeratio quidem aliqua Ordinum dari potest, sed magis exempli quam regulæ (Quemadmodum & accipi velimus, quæ de eadem posuimus in nostris. lib. 2. c. ult. inf. de Rep.) causa, cum varient & dignitatum gradus, & nomina pro temporum & locorum varietate.

LIBER III.

CAPUT I.

SEquuntur nunc media externa Rempublicam servandi. Horum vero primum est ærarium, hoc est, patrimonium seu universitas rerum pertinentium ad Rempublicam ipsam; Secundum ius belli; Tertium, Pacis, Fœderum, Induciarum; Quartum, animadversio ortus, incrementi, mutationis & interitus Rerumpublicarum; Quintum, consideratio optimi Reipublicæ status.

Ad AErarium seu Fiscum quod attinet, eum omni tempore quam maxime instructum esse oportet, ut sc. tempore pacis bene merentibus præmia, delinquentibus pœnæ dignæ inferantur tempore vero belli parata sint, quæ in conservationem eius requiruntur. Proinde omnibus omnino mediis in auctionem eius incumbendum est.

II. Igitur ius vectigalium in eum finem exercendum est, monetæ ratio habenda, agri publici in emphyteusin elocādi, capta ab hostibus custodienda, & similia.

III. Bellum est nobis dissidium publicum inter mutuos hostes constitutum. Sed ab hoc abstinendum est quam diu lites publicæ aliter sopiri possunt. Cum

Respu-

Respublica plerumq; per id in periculum ac damnum adducatur. Effectus iuris belli est, quod capta etiam ab hostibus iure gentium capientium fiant, ut tamen mobilia capientibus singulis; immobilia fisco cedant.

IV. *Denique & Fœdera, & Conventiones publicas iniri avertendæ violentiæ externæ causa refert, idque maxime conducere civitatibus minoribus censemus.*

Conventionum autem publicarum genera sunt Pax, Induciæ, Pacta item & Fœdera alia publico nomine contracta.

In hac autem re cavendum illud maxime est, quia cum hostibus & iuris gentium communio constat, idcirco fidem ei datam non esse violandam.

V. *Pax vero est Conventio Publica mutuorum hostium perpetuo ab armis cessandi, solis Principibus permissa.*

Induciæ sunt Conventio Publica pro tempore cessandi ab armorum usu, quæ si breviores sint etiam ducibus permittuntur.

Fœdera vero, [illegible] Conventiones cetera fere contrahuntur inter eos, [illegible] fuere. Omnium v. fœderum tria genera statui solent, Unum quo leges victis dicuntur; alterum, quo pares bello in amicitiam devenerunt; Tertium, quo qui ante hostes non fuere, contrahunt inter se. Quæ tamen non tam forma & genere, quam occasione differre videntur.

I. [illegible] *fœderum est, ut maiores ex legibus [illegible] defendant omni occasione à vi atque iniuria minores, hi rursus illos auxilio ex iisdem legibus [illegible].*

II. *Denique ad conventiones publicas [illegible] das plerumq; Legati, hoc est, [illegible] ad [illegible] procura-*

curatores, adhibentur, qui & alio nomine Oratores seu Fetiales dicuntur.

Horum vero personæ sanctæ & inviolabiles sunt. Sed missi ad Principes & Populos alios ita sanctiei unt, nisi mittantur ab hostibus nostris. Quod si ab aliis ad hostes nostros mittantur, violandi non sunt, nisi certo constet, legationem tendere in damnũ nostris.

VII. Superest ut de civitatum Origine, Incremento, Ortu, Occasu, & medelis turbarum nonnihil differamus.

Civitates igitur omnes initium à familiarum collectæ multitudine habent. Sed hoc ad originem primam pertinet, constitutis enim illis semel, aliæ ex aliis profectæ diversa prorsus ratione sunt.

In omnibus vero civitatum initiis observandum ut posteaquam multitudo eo devenit, quo in Rempublicam videatur coalitura, status constituendi & disciplinæ ratio habeatur.

Disciplinam dicimus publicum institutum ad exercendũ cives in rebus bonis. Est vero eadem alia Publica, alia Privata.

Publicam dicimus qua cives publico nomine exercentur, ut religione & usu armorum.

Privatam disciplinam dicimus, qua cives singuli ad studia rei privatæ applicantur. In hac observandum Iuventutem inprimis ad studia literarum & humanitatis invitandam, reliquam vero ætatem vel ad negotia, vel agriculturam, vel opificia, idque pro opportunitate locorum. Cum vero negotia plurimum utilitatis publice ac privatim ad civitatem augendam adferre constet, in urbium fundatione eo anni en-


muendum est, vt nauigationi idonea astruantur. Sed & ratio in hac remunitionis habenda, vt puta vel in locis editis, vel paluſtribus, aliisue acceſſu difficilibus collocentur. Tutiſsime tamen id fit in inſulis, fluminibus, oſtiis Oceani aut maris. Vti quidem exemplis Venetorum, Batauorum, Zelandorum, Friſiorum docemur.

VIII. *Republica vero iam conſtituta, danda inprimis opera eſt, ne eadem facile ſtatu mutetur; quoniam hæc res fere cum periculo occaſus coniuncta eſt, à quo præcauendum eſt inprimis.*

Cauſæ vero mutationum vt obſeruentur, aliæ Internæ ſunt aliæ Externæ. Internæ ſunt quæ ex factionibus aut proditione in ipſa ciuitate oriuntur; Externæ quæ aliunde ab hoſtium, aliorumue vi, aut machinatione.

IX. *Aduerſus quas omnes in primis veri Dei cultu & religione opus eſt, deinceps prudentia ſumma periculi auertendi.*

X. *De Optimo vero Reipublicæ ſtatu ſi acturi ſimus, eum non Regium dicemus, non Optimatum non Popularem: ſed quemcunque eorum optimis legibus in verum Republicæ finem compoſitum.*



LIBER



LIBER PRIMUS

CAPUT I.

SUMMARIA.

1. *Politica unde dicta,*
2. *Quid sit,* 3. *& 4.*
5. *(Boni Civis officium.)*
6. *Quare recte Ethicæ pars censeatur,*
7. *Practica magis quam Speculativa est.*
8. *Socratis & Mori qualis.*



OLITICÆ VOX * uti artium & disciplinarum plurium, origine Græca est, usu paulatim Latine scribentibus recepta. Eo quod à civitate, quam τὴν πόλιν Græce, quoque τὴν πολιτείαν dicamus, voce certe iam prope plerisque nationib. paulo saltem politioribus, civitatis iure donata & recepta. Quin forte & *poliendi* verbum, iam olim, & quantum nobis compertum, origine sui Romanum, inde deductum conjicimus. Certe, uti analogia quadam vocum id probabile pareat, res ipsa nec abhorrere videtur. *Polita* nimirum dicimus ea, quæ compta & exculta sunt, prorsus ut hominem *politum* dicimus, *ci-* 1.

 vilem

vilem ac *urbanum*. Ab eo puta quod fere modestiores ac compositi magis moribus ii sint, quorum vel educatio, vel versatio, vel utraque in media luce civitatum maximeq; cum optimatibus fuit.

2. Est autem *Politica* * ipsa doctrina Reipublicæ rite tractandæ, prorsus ac si dicas Doctrinam rei Civilis, seu eius, quæ est de Republica, disciplinæ. Tractandi enim vocem * hic non modo pro gubernatione seu administratione Reipublicæ, vel in toto, vel in parte accipimus, sed pro cognitione Reipublicæ statusque ipsius, ac mune[ris] universo, quæ ad illam, obeundi. Eodem igitur sensu eam & Cicero describit: *Rationem & Prudentiam Reipublicæ gerendæ*. Ut & Aristoteles * eodem modo boni civis officium definit,
3. scientiam parendi & imperandi, *lib. 3. Polit. c. 3.* Quæ utraque, usui recte applicata, Rempublicam quam maxime tranquillam & felicem reddunt, ut recte Theopompus de civitate Spartana refert, *Plutarch in Polit.* Usi vero tractandi voce in hac re potius, quam qua alia sumus,
4. ut una designemus, doctrinam * civilem practicam magis quam contemplativam esse, nec in solo rei intellectu subsistere. Quod tamen & cæteris disciplinis in exercitio actionū potius, quam speculatione mentis, pulchris commune est, *Arist. . Eth. c. 10. & 7. Polit. in princ.* Unde fortas-
5. se minus * proprie, qui hanc prudentiam absolute, vel ut partem, vel ut speciem, ethicæ speculativæ accepto ferunt. In qua tamen scientia

ma plerique sunt, qui Philosophiam universam in Logicam, Physicam, Ethicam partiuntur. Vt enim principia eo recte referas, velut & Legum omnium *bonarum*: à gentium tamen iure (quod Iurisperiti nonnulli *haud* absurde Secundarium dixere) Legibus Romanis *magna* sui parte (& quidem potissimum in publicis) ac *Historiarum* monumentis contento, ea plurima quæque trahit. Vt apposite Bodinus moneat, iuris auctores in tractatu Reipublicæ velut Antesignanos habendos; *Bodin.* 1. *de Rep. c.*2. & *rursus cap.*6. Certe Marcus Tullius Cicero Philosophus & Orator eximius, optimo ævo in optima civitate quam optime versatus: de statu Reipublicæ singulari opere acturus, Romanorum velut pulcherrimum proposuit, *Macrob.* 1. *in Som. Scip. cap.*1. Vt & graviter Tacitus (Vixit autem Tacitus sub Traiano, etiamnum tempore suo, quo puta, civitas domina, potentior multo quam unquam ante fuit, adeoque statu principali multo florentissima) XII Tabulas dixerit finem æqui iuris. Quod videlicet Ius Romanorum universum & si quod unquam, post id laudabiliter compositum, de ductũ omnino aliis sit. Vt prudenter omnino Galli, Hispani, Itali excusso iam diu Romanorum iugo, leges nihilominus eorum conservent inviolatas. Vnde plerique Populi Europæ, adeoque ii, quorum amplissima in Asia, Aphrica, & Orbe universo Novo dominatio est, Hispani, iure civili privato penitus utuntur, publico vero

etiam in actionibus publicis plerisque. Vtpote cuius sancita ac leges longo usu ac iudicio tot peritissimorum virorum, experientia tot sæculorum discussæ, principibus ac legatis huius etiamnum ævi actionibus pacis, belli, fœderum, & similibus uti gemmæ adhibentur, velut ex intimo politiæ sacrario depromptæ. Licet origine sui prima & hæc disciplina, & ius omne, à natura sit, ut eleganter Cicero docet, 1. *de Legib.* id vero est à ratione. Non quidem ut in sola
7. * mentis speculatione subsistat, sed actionibus coniuncta veram eadem non simulatam Philosophiam contineri dicamus, *l.* 1. *D de Iust. & Iure.* ἄνδυ τῦ λέγειν, μέχει τῦ πρᾶττειν. Certe si quis
8. * Rempublicam Socratis, quæ apud Platonem, aut Tomæ Mori, in eiusdem Vtopia descriptã, & sola imaginatione rationis contentam, qua bonorum ac rerum communis societas, & in plerisque arithmetica quædam æqualitas asseritur, usui applicare conetur: is profecto deprehendat quam aspera illa futura, & an non potius Reipublicæ evertendæ sint quam constituendæ aut conservandæ? Plato enim & Xenophon usui paulo viciniores fuere.

CAPVT II.

SUMMARIA.

1. *Respublica politicæ obiectum.*
2. *Quid [illegible] nomine veniat & s[illegible]*

3. *An*

3. *An civitas idem cum ea.*
4 *Item, An Vrbs, An Oppidum, An municipium idem.*

UT vero * quæ ad hanc doctrinam pertinēt; 1:
quam fieri potest exacte peragamus. Res-
publica ipsa nobis velut obiectum totius do-
ctrinæ huius, inprimis definienda est. Quod ut
commodius agamus, examinanda * prius vocis 2.
significatio est. Est autem à Re, hoc est, impe-
rio publico dicta. Rei enim significatio varia
quidem & multiplex est, *Arunt. Cels. grammat.*
Festus. Isidor. 5. Orig. 25. vide tex. & DD. in l. 205. de V.
Sign. Sed & imperium designat apposite, ut
cum Latini authores penes aliquem Summam
Rei esse dicunt. Eandem & * Civitatem ap- 3.
pellamus, idque à civibus qui eam constituunt.
Proprie enim civitas est civium universa multi-
tudo, ut recte Nonius annotat. Licet enim hæc
interdum * & pro Vrbe dicatur, Vrbs tamen 4.
proprie corpus ædificiorum est, ambitu certo
distinctum & munitum. Sic Servius: *Vrbs mu-*
ros, civitas habitatores significat. Quando igitur
altera alterius loco usurpatur, metonymia uti-
mur contenti pro continente, vel vice versa.
Denique oppidum idem quod urbem dicimus,
ut apud Ciceronem est 1. *de Repub. allegatum à*
Nonio. Licet usus indicet Vrbem fere pro civi-
tate maiore, Oppidum pro minore dici. Vti
& municipium plerumque pro civitate minore
dici consuevit. Denique est homonymia quæ-
dam * in Republicæ verbo, eo quod idem mo 5.

 do Ci-

do Civitatem cuiuſcunque ſtatus, ſive Regni, ſive Optimatum, ſive Populi Unive. ſi deſignet (quo ſenſu quidem magis proprie accipitur) modo vero ſtatum Popularem aut Optimatū. Quo poſteriore ſenſu & Ariſtoteles πολιτείαν dixit, *lib.4.Polit.c.4.* Sic Cicero, cum res Romana poſtremo bello civili declinaret in principatum: *Hoc bello, inquit, quam Rempublicam ſimus habituri neſcio; victis certe nulla unquam erit. in Ep. ad Attic.* Et eodem ſenſu fortaſſe Feſtus ex Caio Graccho: Ex nationes per avaritiam atque ſtultitiam Reſpublicas ſuas amiſerunt.

CAPVT III.

SUMMARIA.

1. *Ariſtoteles & Bodinus quam recte Rempublicā definierint, & num. 2. 3. Definitio Buſii.*
4. *Eadem explicata.*
5. *An Reſpublica eadem ſit in quam principib. pluribus imperium eſt, & de civitatibus mœnibus diviſis, pluraque eiuſmodi explicata. & nu. 6. 7. 8. 9. 10.*

1. CONſequens* igitur modo eſt, ut Rempublicam deſcribamus. Et quidem Bodinus, bonus author, eam definit. Familiarum, rerumque inter ipſas communium ſumma poteſtate ac ratione multitudinem moderatam, *1. de Rep. c.1* Qui quidem in re Ariſtotelem ex parte ſecutus eſt, qui eam deſcribit, Civium multitudinem

tudinem cui omnia suppetunt ad beate vivendum, 3. *Polit.c.6.* Hunc tamen ille reprehendit, quod definitio hæc minus perfecta sit, non video interim qua in re definitio ipsius alteri præstet. Quinimo Aristotelis descriptionem censeam potiorem, eo quod *in hac* saltem ratio aliqua unius habetur. Minus tamen * plena videri queat, eo quod & Præfecturæ & pago tribui possit; adeoque nec forma, nec finis Reipublicæ verus eadem sit explicatus. Nos igitur 2.
* eam in significatu latiore definimus: Universitatem cuiuscunque totius legitimæ civitatis uno imperio contentæ. 3.

Universitatis enim vox recte generis loco adhibetur * , eo quod hæc & cœtui oppidano universo, item collegio, tribui, vel cuivis adeo corpori conveniat, *l.7.§.fin.iunct. l.8 D. Quod Cui. Univ. Nom. & in §.universitatis. Inst. de Rer. div.* Totius vero vocem addidimus, ut eam à tribu, corpore, pago, distinguamus. Denique de uno imperio quod dicimus, id non de imperio unius intelligimus, sed plurium etiam, modo Summa Reipublicæ sit una, hoc est indivisa, vel plurium vel unius. 4.

Unde commode quæritur, Num * civitas in quam diversis Principibus imperium ac potestas regionibus locorum divisa est, recte una Respublica censeatur. Et hoc quidem evenire potest, si forte uni vel alteri in urbem aut oppidum vicinum potestas iure quasi servi- 5.

unius sit. Quod Coloniæ Agrippinæ deprehendere licet, ubi non Magistratui urbano tantum, sed & Principi Electori Ubiorum, & rursus alibi Comiti Nieuwenario in certam urbis partem aliqua iurisdictio est. Sic & Nobiles diversi nonnullis in locis iurisdictionem, vel interdum etiam ius apprehendendi delinquentes solum habent, licet in aliqua parte territorii alterius. Unde & ius eiusmodi habentibus paratæ utiles actiones confessoria & negatoria sunt, quasi, pura pro servitute asserenda. *Bald. ad rub. C. de Usufr. Fab. Myns. Schneid. in §. æque. Inst. de Usufr.*

Idem tamē iuris quispiam in territorio Principis alterius habere iure Magistratus potest, vel etiam iure beneficii moribus introducti, quod feudum nuncupamus. Ut cum Princeps alterius regionis Ducatum, Comitatum, Baroniam, Præfecturam, aut similem Magistratum quoquo alio iure sustinet in Territorio, Regione aut Provincia non sua. Qua ratione Transisulani inferioris Germaniæ populi, vicinis Drenthonibus Satrapem constituere solent. Nisi tamen illis in hos Principatum competere dicamus, ut constituerint eis Satrapas iure suo. Cer-
6. te si Imperium *civitatis unum sit, etiamsi id diversis Magistratuum curiis administretur, eadem tamen Respublica erit. Quod Brousuicꝗ deprehendere licet, cuius Iurisdictio inter quatuor Magistratuum curias distributa est. Imperium interim civitatis unius est S. P. Q. BR.

Quod

Quod si alteri Principatus * iure in distinctâ civitatis partem Reipublicæ summa competat civitates potius diversæ erunt. Idque videre licet Traiecti ad Mosam, ubi Principis Leodiensis & Brabantiæ Ducis imperium civitatis flumine distinctum est. Sed utrumque id uti vicarius imperii habet. 7.

Sic & vice * versa civitas una erit, quæ diversis in plus, pagis, arcibus, vicis, regionibus uno & eodem tenetur Principatu. Qua ratione nimirum Basileensis, Genevensis, Confluentina civitas, divisis quantumvis mœnibus & portis, Rempublicam unam constituunt & eandem. 8.

Romanorum Respublica igitur, utcunque maxime, ex innumeris pene populis ac civitatibus constiterit, una tamen tantum fuit cum Imperium generale fuerit Unius S.P.Q. Nec * obstat his quod Constitutione demum Antonini omnes in orbe Romano qui sunt civitate fuere donati: ea enim Constitutio ad privilegia pleraque pertinet, quæ peculiaria prius fuere soli populo urbano, quique eiusdem iure iam antea viritim fuere donati. 9.

E diverso provinciæ * Belgicæ, civitates Helvetiorum, item Balticæ, seu Anseaticæ, singulæ suas Respublicas tuentur, & imperium singulæ suum habent. Tametsi omnes fœdere communis auxilii ac defensionis teneantur. Idemque pene iudicandum de fœderibus vetustis Ætolorum & Achivorum, quæ tamen postea 10

quoque & ante imperium Romanum in eas propagatum, in unam tandem Rempublicam videri queant coaluisse.

CAPUT IV.

SUMMARIA.

1. *Legitima civitas quæ.*
2. *Non consistit in mœnib. ac ædificiis.*
3. *An recte legitimo imperio informatur.*
4. *Legitimæ Civitatis propria nota.*
5. *Quæ principia ex ea orta.*
6. *Definitiones Civitatum à Philosophis allatæ quā veræ sint.*
7. *Quis sit proprius civitatis finis, & an idem sit qui hominis. & nu. 8. 9.*
10. *Bodinus quidem Philosophos reprehendit recte, sed nō rectis usus mediis.*

1. SEd quia * Rempublicam legitima civitate definimus, illud paulo altius repetendum videtur, quæ demum civitas sit censenda. Quod quidem ita nobis commodius facturi videmur, si de vero eiusdem fine & propriis notis, quam perspicue fieri potest, agamus.

2. His nimirum * discernitur eadem à cœtu Prædonum, Piratarum, Seditiosorum. Neque tamen existimandum est id mœnibus urbis, aut finibus agrorum perfici. Alioquin * enim Atheniensibus, cum se classi marinæ committerent (eo quod ab oraculo Delphico responsum acceperant, civitatem à Persis invictam mœnibus ligneis fore) alioquin S.P.Q R. cum urbem adventu Cæsaris trepidi desererent, non habuisse civita-

civitatem dicamus. Quin & populis Scyticis nonnullis perhibent etiamnum moris esse, ut incertis sedibus vagi, modo has modo illas regiones adeant, prout necessitati eorum commodius videtur; habitationum interim coniunctione quoquo deferantur, instar castrorum composita. Quod genus munitionum hordas dicunt *Peucer. in Chron.* Qui interea his omnibus civitatem negaverit, omnino egerit absurde. Sunt quidem mœnia & fictio distinguendi eius ab aliis, vel defendendi causa, ipsa tamen civitatem non constituunt. Vt recte Pompeius urbe deserta dixerit, illam non in parietibus & ædificiis constare. Sed & * vix sufficerit eam 3.
imperio & institutis ordine compositis finire. Quod & piratæ, itemque milites seditiosi plerumque non inepto ordine ac statu inter se coniuncti agmina ducant, Reipublicæ tamen aut suæ civitatis honorem ac decus non merean tur.

Legitimæ igitur Civitatis * nota & qualitas 4.
propria est, *Imperium bonis institutis ad vendicandum cives omnes ac singulos à vi atque iniuriis, societatemque civilem inter ipsos perpetuo conservãdam comparatum.* Bona tamen instituta dicimus etiam quæ non optima, imo & inter quę multa re ipsa minus bona; modo summa eorum contendat in proprium totius rei huius finem, Civitatis tuta conservandæ, & tam in toto quam partibus omnibus defendendæ.

Ex quo principio sunt * illa nonnullorum 5.
civi-

civitatum Statuta, quibus cavetur, si qui cives alibi iniuria afficiantur, id publica ope consilio aversum iri. Quod in Republica Daventriensi, itemque Zuoliana, patria mihi, lege municipali cavetur, & servatur etiamnũ. Optima profecto ratione, qua, puta, tam sua Populo tranquillitas in membris quibusque privatim constet, quam publice universis.

8. Eoque pertinent istæ definitiones, licet * minus perfectæ: Civitates esse hominum cœtus ad bene beateque vivendum collectos. *Cic. & Aristot. in Polit.* Illaque legum cæterarum Diamoderatrix: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. *Cic. 1 de Legib. & rursus de Finib. lib. 5.* Quo scil. commodum omnium præferatur utilitati singulorum, adeoque commodo Principis ipsius. *l. un. § pen. C. de Cad. Toll.* Et regiæ proinde Hadrianus dictitabat, ita se Rempublicam gesturum, ut sciret rem populi esse non suam.

Denique his consequens est, eundem finem civitatis esse qui sit civis. Id enim est, ut imperio publico tuti ab iniuriis tam publicis quam privatis fruamur, non qui hominis, contra quã Bodinus disserit, *lib. 1. de Repub. c. 1.* Recte quidem ille partim Stoicos, partim Academicos,
7· maximeque Aristotelem secutus, hominis * finem in contemplatione maximeque rerum divinarum & ecclesiarum consistere, actionibus corporeis quam minimum permixtis: sed eundem finem vel civis, vel civitatis esse, minime ideo ut conveniat. Sed & recte Aristoteles, passim

in Pa-

in Polit. 1. eundem finem esse singulorum, qui sit universorum: idque & nos modo, non tamen inde consequitur, * civis & hominis finem con- 8.
fundendum. Sed, ait Bodinus, *finis is demum rei cuiusque verus est qui extremus est*: Verum hac in re simile extremum dicit quod ultimum: sequitur omnium rerum creatarum finem eundem esse, cum omnia quæ sunt, ad gloriam Dei comparata sint. Ita vero nec ratio communis, nec philosophica finem accepit. At è diverso pro eo cuius gratia res quæque principaliter comparata est, & scopo adeo proximo eidem. Sic victus finis est sustentatio vitæ, suppellectilium necessitas & usus rei familiaris. Horum quoq, finem igitur & in eadem beatitudine versari dicemus, quod tamen non nisi per soritem fiet, cuius series ex connectione mediorum detegi multiplex poterit. Beatitudo igitur animi finis * hominis est, tutela & felicitas reipublicæ ac 9.
privatæ civitatis. Idque Aristoteles passim explicat, nec alio sensu hic & Cicero: *Civitates esse natas ad bene & beate vivendum.* Si vero hæc diversa sunt, diversum etiam cuiusque sequitur esse finem. Nec ad rem facit quod nonnulli civium solitam id tandem consequuntur, ut maxime contemplationibus dediti reliquis beatius degant: id enim non beneficio civitatis, sed divinioris rationis consequuntur; qua scil. præstant iis homines. Namque id & eremitis & monachis facilius quam cæteris contingit, ut hac e civitate proprium finem consequi sibi prorsus

fus ridiculum sit. Denique & servis studio & fide serviendi id tandem accidere potest, ut & [illegible] consequantur, & discipulis [illegible] qui [illegible] consequantur a [illegible] felicitatem. Erigitur is quoque finis eorum extremus dici possit, non tamen quatenus servus, sed quatenus homo est. Quibus consequenter ex sententia Bodini tandem dicendum fuerit, eundem finem civis & servi esse. Quo profecto absurdius dici nil queat. Quin etiam evenit sæpe, ut [illegible] homines sint, qui cives eximios [illegible], & vice versa, ut boni cives, [illegible] felicitate valeant minus. *Arist. 3.* [illegible] Commune igitur qualitas boni hominis, & boni civis ne quidem semper est, multo vero minus una eademque.

Dein quinetiam Bodinus definitiones Rei-
10 publicæ philosophorum * reprehendit, sed in eam rem quæ argumenta adhibet, evertunt potius sententiam suam quam confirment. Alium enim, [illegible] docuerit, Reipublicæ finem, aliam [illegible] notam allatam [illegible] oportuit; [illegible] illam quam dicimus, tutelæ publicæ ac privatæ intentionem. Certe Philosophi definitione alia intentione accepta quam à nobis paulo ante explicatum est, collegia monachorum, civitates dici oportet, quod tamen absonum fuerit omnino.

Verum quidem est finem eius, qui vitam beatam contendit, contemplationem rerum & maxime divinarum esse, sed ei consequens

non

non est civitatis finem eundem esse. Cum nulli civitatis conditori id unquam in mentem venisse dici possit. Si enim finis cuiusque rei est, propter quod ea comparata est, & consequens est, ut is demum civitatis sit, qui civium singulorum; id vero est is qui iam est descriptus.

Vita igitur beata, hoc est, contemplationib. maxime rerum divinarum dedita quidem finis civis esse per accidens potest, sed quatenus hominis; non etiam quatenus civis.

CAPVT V.

Summaria.

1. Respublica & civitas inter se reciproca.
2. Promiscue etiam sæpe di[illegible].
3. Alia suprema, alia inferior.
4. [illegible] & 5.
6. Quemnam inferior [illegible] habere iura Maiestatis.
7. Imperium Papæ Romani quale. & 8. 9. & 10.

Quando igitur Rempublicam * legitima civitate definimus, consequens est, utramque nobis perinde late accipi, ipsaque nomina hæc inter se reciprocari. Licet enim civitas proprie civium corpus sit, Respublica vero dicatur civitas una cum statu ei coniuncto: promiscue tamen usurpantur sæpe. Adeo quidem * ut nec tam Rempublicam pro civitate aut municipio particulari dici receptum sit, ut in leg. [illegible] 13 §. 1. *de publican.* & vice versa civi- 1. 2.
tatem

tatem pro Republica universali. Vt cum Iustinus utramque civitatem, Medorum & Armeniorum dixit, & Cæsar, Omnem civitatē Helvetiorum quatuor pagos habere. 1 *Comment.* Item Cicero totius mundi unam civitatem esse dixit *de Legib.* & D. Augustinus etiam *de Civ. Dei.* Sed hoc per allegoriam, ab ordinis similitudine sumptam. Alexander interim Magnus imperiū orbis terrarum mente complexus proprio significatu aiebat, totius mundi unam civitatem, eiusque arcem castra sua esse. *Plutarch. in Alex.* Et quidem his positis, quia civitas à nobis legitimo imperio definitur; imperium vero aliud superius est, aliud inferius: e demonstratione Rem-
3. publicam aliam * Supremam statuimus, quæ imperium superius non agnoscit, aliam inferiorem, quæ a Principatu superiore dependet. Imperium igitur, Romanum, Gallicum, Hi-
4. spanicum *, Britannicum suprema sunt & universalia; quia nec partes alterius sunt, nec ulla
5. ratione alteris subiecta. Inferiore * sunt quæ alteri parent, uti sunt Ducatus, Principatus, & Civitates Italiæ & Germaniæ, quæ ab Imperio dependent, & à Principibus suis vel iure vicario, vel beneficiario tenētur. Talis denique est omnis Principatus Romani Pontificis in Italia, partim à Matilde, partim Imperatorum aliquot beneficiis comparatus. Quod & de Regno Neapoleos, Siciliæ, ac Sardiniæ dicendum est, (quæ Reges Hispaniæ a Pontifice in feudum habent) in quibus nimirum Pontifex ipse vi-

carius

catius imperii est. Ut & in Latio ac parte ducatus Ferrariensis. Sic Rex Hispaniarum, in ducatu Mediolanensi, Magnus Dux Florentiæ, Sabaudiæ, Lotaringiæ, Mantuæ, item Principes ac Civitates Italiæ ac Germaniæ omnes, quæ se liberas venditant, & iura maiestatis habere eũ, quæcunque ea sint, aut beneficiario, aut ex privilegio, vicario habeant iure. Ad maiestatis quidem iura ea proxime accedunt *, ut Doctores haud absurde iis tantum in suis territoriis ascribant, quantum Imperatori in imperio, post *Bart. in l. infamem. num.* 14. *De Publ. Iud.* Sed non iure suo seu proprio, at quasi proprio tantum habent. Qualia puta omnia sunt, quæ quasi dominio, quod iuris interpretes utile, respectu dominii veri, quod directum nuncupant, ab aliis possidentur. Ut non absurde Rex Hispaniarum, respectu Maiestatis Imperialis, vicarium Imperii in Italia indigetet. *Bodin. lib.* 1. *de Rep. c.* 10. & dux Sabaudiæ in suis ditionibus perinde vicarius perpetuus dicatur. *Iacob. de S. Georg. in tenore Invest. in tract. suo feudali. Vide Vuartesque perpetuus.* Et vero tametsi * Papa Romanus in ipsum imperatorem & Reges terræ sibi imperium supremum ascribat, id tamen nec ab Imperatoribus Orientis, nec Occidentis, nec Regibus Galliæ, nec Principibus innumeris agnitum unquam fuit. Denique Bellarmini Cardinalis liber in defensionem eiusdem nuper conscriptus, in Gallia ante biennium, publica authoritate damnatus est & concisus.

6. 8.

cisus. Vngendi videlicet Imperatores Occidentis, & Reges Galliæ, honor ab antiquo ei permissus fuit, ut Patriarchæ & Episcopo Romano, & inde occasio arrepta, arrogandi sibi in ipsos Reges Principatum. Hunc tamen eis non permissum arguit, quod certa tantum ecclesiæ Romanæ feuda sunt, eaque modo quæ vel concessione vel permissione Imperatorum, aut liberalitate Regum ac Principum aliorum, patrimonio (quod vocant) Divi Petri id est ecclesiæ Romanæ sunt concessa. Nam quod ad do-
9. nationem Constantini * attinet, certum quidē est, eum plurima liberaliter ecclesiæ Romanæ contulisse, sed de Imperio Occidentis aut Italiæ ei collato quod somniant, inanis fabula est, ne quidē Platinæ ipsi (qui tamen archiva Pontificum accuratissime perlustravit & beneficia Constantini in Pontifices recenset singulatim) usquam agnita aut memorata. *Vi. Plat. in Vita Sylvestri. 1.*

10. Idem arguit * veterum Imperatorum in electione Pontificum vel probanda vel improbāda authoritas. Cui tamen à posterioribus imperatoribus utcunq; videtur renunciatum, licet ius maiestatis in eos semper usurparint. Et quidē adeo ut & capite, eos, & exilio, & statu mulctarint sæpe. *vi. Plat. Abbat. Vsperg. Volaterranum, Carol. Sigon. Hancler. & plerosque Italiæ, Germaniæ & Galliæ Historicos passim.* Sed hac de re infra *lib. 2. latius.*

CAP.

CAPUT VI.

Summaria.

1. Republica Partes Integrales.
2. Civitas ex quibus constet.
3. Partitio operis.
4. Civis quis
5. Quis Peregrinus, & numero 6.

REipublicæ partes integrales sunt * civitas 1.
in specie sic dicta, id est, civium ipsorum corpus, & medium eius constituendæ ac conservandæ, quod fere status nuncupatur. Civitas * vero constat ex civibus singulis. Unde ad 2.
hujus notitiam tradenda in primis eorum qualitas & differentia * est, dein ius in familiis & 3.
collegiis privatis, hoc est, non dependentibus a publico statu. Quamobrem primo de his ordine agemus, tum de publico statu.

Civis nobis est homo * liber, summo Rei- 4.
publicæ alicuius imperio subiectus. Imperium Reipublicæ addimus, quia civis non est qui civitatis membrum non sit, & idcirco imperio publico non subiectus. Qui igitur paterfamilias quidem est, imperio vero publico nulli paret, civis non habetur. At qui alteri imperio supremo paret ab hoc diverso, idem quidem civis inter suos est, sed nobis peregrinus. Peregrinus vero priscis * idem cum hoste 5.
Varr. de Lingu. Latin. Cicer. in offic. Quod quidem usque adeo obtinuit, ut & captos,

quando bellum non erat capientium fieret, *l.* 5. §.1. *D. de Capt. Et Postl. Rev.* Sed sublata prisca illa gentium pene omnium asperitate, consuetudine humanioris ævi paulatim obtinuit, ut tantum hostes habeantur, qui olim perduelles, quibus scilicet publice bellum inferendum decretum,
6. *l.* 234. *D. de V. sig.* Peregrini igitur * nunc simpliciter exteri dicuntur. Sed hoc ita nisi qui sint ex populo fœderato, ii enim recte nobis hospites habentur, *l.* 7. *D. de Capt. Et Postl.* eo quod peregrinorum ius, & captivitatis ac violentiæ in eos facultas omnis hinc inde nobis adempta est, & de iure hospitii idcirco intelligatur conventum. Sed incolæ sunt, si adsint nobis causa habitandi *l. ult. & tot. tit. C. de Municip. lib.* 10.

CAPUT VII.

Summaria.

1. *Civium differentia duplex.*
2. *Privilegiorum in civibus diversitas in Repub. Rom. quanta.*
3. *Coloni qui & Romanis quotuplices.*
4. *Municipes qui.*
5. *Ius Latii quod & quotuplex.*
6. *Quæ civium differentia remanserit post latam L. Iuliam de civitate Italiæ communicata.*
7. *Liberi populi Plinio qui, & qui propriè.*
8. *Fœderata oppida quæ.*
9. *Civitates Imperiales hodie quid habeant iuris, & cui civium generi ex veteribus similes sint.*
10. *[illegible] Antonini de civitate omnibus incolis orbis [illegible] data, quid [illegible] tum.*
11. *[illegible] Romanis interdum*

...um peregrini dicti. | *13. Urbani cives provincialibus plerunque conditione meliores.*
12. Provinciales an fuerint cives.

CIvium interea differentia * duplex est, prima quidem, qua urbani à Provincialibus privilegiis ac beneficiis, altera qua utriq; conditione, vel generis vel meritorum inter se mutuo distant. Ad primam quod attinet, ea si unquam * in ulla civitate recepta, vel maxime in Republica Romanorum fuit. Alii enim ibi *Urbani*, alii *Coloni*, alii *Latini*, alii *Municipes*, alii *Liberi*, alii *Fœderati* fuere. Idque cum ex aliis passim, tum vel disertissime constat ex Plinio, *lib. 3. Nat. Hist. c. 1. & 3.* *Urbani cives* per eminentiam dicti erant, cives indigenæ civitatis ipsius Dominæ. Quorum respectu & cæteri omnes interdum dicti peregrini. *Coloni* erant *cives* ex * urbe vel Italia missi, ut alibi civitates constituerent singulares, ut Colonia Bononiensis, Agrippina, & similes, idque fere fiebat vel imperii propagandi, vel præsidii causa. *Vell. Paterc. lib. 1.* Et harum aliæ rursus Romanæ erant, vel deductæ scil. ex civibus Romanis, vel hoc iure donatæ ac si deductæ ex iis essent. Id tamen oportuit factum fuisse ex S.P.Q.R. præscripto. Quia Coloniæ Novocomum deductæ civitas Lege Clodia ademta fuit, quod Cæsar eam ultra præscriptum dedisset. *Suet. in Cæs.* Et hi vix ulla re ... differebant, præterquam Sacrorum ... *author Ascon.* & iure suffragiorum gaudebant

1.
2.
3.

bant, si in urbem transissent. Qui tamen inte postea aliqua mutatio accidit, quod coloniæ civibus suis hac ratione exinanirentur. *vid. Onuph.lib.3. Antiq.Rom.* Coloni Latini erant dimissi ex Latinis, ut municipia essent suæ cuiusque civitatis, uti Festus de Bononia Prænesta, & aliis municipiis. *in voce municipium*, quæ tamen fuere Coloniæ Latinæ. *Vellei. Paterc.*

Municipes in specie sic dicti, cives municipio-
4. rum * erant, & municipia oppida in civitatem recepta, ut sc. munera & omne ius civium participarent, excepto iure Magistratuum & suffragiorum, *Fest. d. lo.* Unde & municipia perhibentur dicta, tametsi postea hoc nomen & oppidis fere omnibus communicatum est, *l. 1. §. 1. D. Ad Municip.* Hæc vero proprio iure utebantur, non etiam Iure Populi Romani. *Gell. lib. 16. cap. 13.*

Latini dicebantur ab antiquo Latii cives. Un-
5. de Ius Latii & ipsum Latium * dictum est, quod aliud *Antiquum* fuit, aliud *Novum*. *Serv. in eum locum Virg. Quis Latio Antiquo fuerit status.* Illud erat quod priscis imperii terminis finiebatur, post a missione colonorum auctum, *Plin. lib. 3. c. 5.* Sed hoc ius municipiorum iure minus fuit, qui municipes etiam ipsius urbis cives & participes, ideirco Legis Sacratæ erant, *Ne scil. de capite civis iniussu populi ageretur.* Quod ad Latinos non pertinuit. Unde Salustius Turpilium, Vaccæ in Aphrica præfectum, damnatum capite perhibet, quod civis ex Latio esset. In muni-

cipiis

cipiis tamen ipsis quoque differentia fuit, quod alii ius suffragiorum haberent, qualia pleraque erant, alia non item, uti Cerites. Vnde tabulis Censorum nomen fuit, in quas referebantur iure suffragii privati. Latium Novum est, suffragiorum & Magistratuum causa civitatē adipisci; *Pedian. in Pison.* Id enim Latio & Italiæ universæ Lege Iulia, finito scil. bello sociali postremo nove collatum est. *Vell. lib. 2. Gell. lib. 4. c. 4. Cic. pro Balbo.* Huc referendi quibus civitas viritim dari solet Quippe ad hos Pedianus *d. loco* vel maxime respexisse videtur.

Post legem Iuliam tamen * de civitate universæ Italiæ collata, differentia civium nihilominus in provinciis & earum oppidis observata fuit, uti ex Plinio constat, *lib. 3. c. 1. & 3.* Floruit enim Plinius sub Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva. 6.

Denique *Liberi Populi* * proprie sunt, qui sui imperii & iuris sunt, etiamsi Maiestatem alterius, quod veteres aiebant, comiter observent. *l. 7. D. de Capt. Et Postl. Rev.* Sed oppida libera Plinio *d. lo.* fuisse puto à tributis in provinciis immunia. Cuiusmodi fuit Cæsaria à Vespasiano tributo capitis liberata, quod Titus dein una extendit ad tributum soli, *l. ult. §. D. Vespasianus. De Censib.* Fœderata oppida * Plinius intelligit quæ Iure Italico donata fuere. κατ᾽ ἐξοχὴν enim Italici pro fœderatis dicti pro iis quibus ius coloniarum aut municipiorum non erat. Vt apud Livium, Velleium, Eutropium passim. 7. 8.

Igitur ad similitudinem Iuris Italici dicti, qui beneficio Principum idem iuris consecuti erāt, puta in levatione census, traditionibus nexi, usucapionibus & similibus. Cuius rei argumentum est quod *sub titulo D. de Censibus*, omnes populi Iure Italico donati recensentur. Et hos igitur ius suffragiorum habuisse non putem. Alias enim cives Romani essent, quos tamen separat ab his Plinius diserte. Consimiliter tamen & Latini interdum Fœderati dicti, *Cic. pro Bal'o*, uti & Socii nominis Latini, passim dicti.

Coloniæ vero interdum & municipia dicta sunt, & vice versa, ut apud Festum *in voce municipium*, *& Paterc. lib. 1. & 2.* Denique locum Latini nominis post Legem Iuliam in civitatem receptis comparare liceat etiamnum civitates

9. imperiales, quas dicimus * liberas. Quippe quæ omnes Ius suffragiorum habent. Minus vero iuris habuere Provinciales, hoc est, indigenæ Provinciarum & Præfecturarum, Quibus ius municipii, aut Coloniæ relictum non erat. Erant vero Præfecturæ civitates, quibus ius Reipublicæ ademptum erat, ut Præfectis Romanorum subesse cogerentur. *Festus.* Provinciales tamen & stipendiarii dicti à stipendio seu tributo pendendo, *l. ager. & ibi Alciat. D de Verb. Sign.*

Tandem vero omnes ex Constitutione Di-
10. vi Antonini, qui * in Orbe Romano degunt, cives effecti, *l. in orbe, D de Statu Hom l Roma D. Ad Municip.* Sed post eam quoque manlit Latini iuris

iuris umbra in libertatē Latina, *l. un. C. de Lat, lib, Toll.* item in onere tutelæ, & si quod ei simile minutum fuit Italici Iuris etiam, post eam. § 1. *Inst. de Excus. Tut.* Licet illud dici nequeat, per Constitutionem Antonini omnibus incolis orbis Romani beneficium Legis Sacratæ fuisse. Cum nec Latio id communicatum fuerit, posteaquam socii Latini nominis & Italici omnes L. Iulia donati sunt. Vt ex *d. lo.* Salustii constat. Ante Antoninum igitur κατ᾽ ἐξοχὴν dicti Civitatis Dominæ cives urbani, quique Latio Nove donati. Respectu vero urbanorum olim & cæteri interdum * omnes dicti fuere peregrini. 11.
Vt Consul ille apud Liv. adversus socios Latinos: *Audi Iupiter hæc scelera, peregrinos Consules, peregrinum Senatum in tuo templo.*

Provinciales tamen & ampliori * civium nomine venisse oportuit. Aut enim cives sunt, aut socii, aut externi (qua tum non datur) socii dici nequeunt qui nostris legibus, imo & magistratuum edictis tenentur (nisi omnino improprie) ergo nec hi fuere socii, quia Præsidibus & edictis eorum in illos exercitum imperium est. Externi vero multo minus fuere, quia id nomen proximum peregrino est, licet sociis & peregrinis commune. *d. l. 7. princ. vera lectione har nre, quæ Florentina est, retenta.* Ut eius cives fuisse oportuerit omnino. Si enim civitatem suffragiis & honoribus finias (quod aliquibus factum, sed imperfecte) id quidem ad indigenas civitatis Romanæ pertinebit, eoique qui 12.

illa donati, item ad Græcos nonnullos non tamen ad reipublicæ cuiusque cives. Quin & omnes minoris conditionis homines hac ratione civitate privabis, qui tamen maxima pars sunt, seu, ut Plato & Aristoteles materies civitatis, Hic mihi si quis dicat, Romani vero eos vix unquam cives nuncupavere, fatebor. Sed hoc eo quod civium urbanorum, ut dignitas, ut maiestas respectu ingentis imperii, ingens fuit, ita nomen hoc indigenis & quib. id beneficio datum, conservatum quasi proprium est & peculiare. Uti Cicero, neminem & ne quidem amplissimum Gallorũ minimo civi Romano perhibet comparandum. Id cũ Livius, peritissimus certe status Romani auctor intellexerit probe, subditos qui cives urbani non erant, quandoq; *Cives Peregrinos* dixit. Et hæc latius explicanda censui, cum ut constaret, civium omnium non semper & ubique eandem conditioné esse, tum quod hanc rem ad illustrationem Historiæ Romanæ non leviter pertinere censerem. Illud igi-
13. tur hic generatim observandum, Plerumque * civium urbanorum conditionem meliorem esse quam externorum. Quod & bona fere cum ratione fit, eo quod urbibus conservari respublica consuevit. Ut quidem Carolus IV. cuius tamen acta Maiestatem Imperii non leviter labefactarunt, ex eo saltem meruerit prudentiæ laudem quod de statu reipublicæ deliberans, censuerit quietem & robur eius vel maxime in urbium felicitate constare.

CAP.

CAPVT VIII.

Summaria.

1. *Altera Civium divisio in Nobiles & Plebeios.*
2. *Nobilitas quid.*
3. *Quare in ea & quomodo divitiæ requirantur.*
4. *Nobilitas utra Generis, an Meritorũ alteri præstet.*
5. *Quid si genere clarus una & virtute præcellat, utrum sola virtute clarus, an hic illi præferendus sit.*
6. *Vtrum qui nec genere, nec meritis ad dignitates vocatur, nobilis fiat, & 7.*
8. *Num equites Romani nobiles fuerint.*
9. *Nomen eorum unde.*
10. *Num iis comparare liceat Optimates vel urbium, vel agrorum.*
11. *Hi qua ratione Equestris Ordinis dicantur.*

SEquitur nunc * civium differentia altera, 1.
qua scilicet utrique tam urbani quam externi conditione vel generis vel meritorum inter se mutuo distant. Et huius consideratione * alii 2.
dicuntur *Nobiles*, alii *Plebeii*. Nobiles à noto dictos, hoc est omnibus cõspicuos Festus & Varro, authores sunt, uti Plebeii à plebe dicti sunt etymologia manifesta.

Nobilitatem vero vulgus fere vetustis divitiis æstimat, eo quod id communi quodam & cæco errore divitias honorat. Prudentiores melius, eam aut genere, honestate pariter & divitiis conspicuo, aut meritis definiunt. Vt scilicet nobilis genere sit, qui honorabili genere natus ipse degit honestus; meritis qui virtute

aut

aut bellica, vel reipublicæ administrandæ, aut eruditione, præ ceteris illustris est, *Sen.lib.1.Contr.6.Boet. de Consol. Philos.3.pros 6. Plut.in lib.contra Nob.* Opulentia tamen additur nobilitati gene-
3. ris * cum propter opinionem vulgi, tum quia eadem facilius tuemur vitam honestam. Siquidem, uti par est, subducta ratione, divitiæ ad propriam qualitatem huius rei non pertinent, cum & infamibus communes sint, quibus tamen omnes dignitatum gradus sunt præclusi *l. neque.2.C.de Dign.lib.12.* Unde & Camillus, Æmilius Paulus, Cotta, Scaurus nobiles & pauperes dicti. *Plut. & Plin.de Vir Illust.*

4. At si quæratur, *utra * alteri sit præferenda*, controversiam in eo versari censemus, utrius qualitas personæ plus ferat honoris, reipublicæ vero utilitatis. Et quidem quam multi meritis & virtute propria excellentes, è luto in summum splendorem honorum prodiere? Alfenum Varum iuris auctorem adolescentem sutoriæ operam dedisse proditum est, verum iuris studio cum se applicuisset, & præclaram profectus laudem assecutus in urbe Romana, populorum & regum domina, nactus Consulatum est; Demostenes orator ortu natalium infimæ condi-
5. tionis homo, quo voluit dignitatis Athenis cōscendit, & Seneca philosophus Romæ. Iam vero quam innumeri sola virtute militari provinciarum præsides, exercituum Duces, Imperatores ipsi facti? Qui meritis tamen suis rempublicam quam maxime auxere. Unum Traianum

ianum memorabo, qui & collapſum utcunque imperium virtute ſua reſtituit, reſtitutum & ſtudioſius & felicius, quam quiſquam ante vel poſt ſe auxit. Quis vero genere clarus ſibi ſuisve unquam ſplendori fuit, niſi & una virtute aut meritis propriis auctus; & non potius dedecori maioribus, à quibus claritatis ſibi origo, ſi ab honoris & virtutis ſtudio deficiat, quã honori eſt? Proinde illa quæ meritis paratur, altera (ſi modo ea ſola ſit) illuſtrior habetur. *Sen.d.lo. Ariſt.in lib. de Nob. apud Stobæum.*

Quid ergo, ſi genere * clarus una & virtute 5.
aut doctrina ſit illuſtris, plebeius vero perinde, uter alteri ſit præferendus, quæritur. Et quidem genere clarus nova dignitate auget genus, uti Romæ nobiles iuris peritia fieri nobiliores ſolent, & per iuris peritiam princeps in civitate locus obtineri, *Tacitus.* Alter vero ſolis meritis propriis emergit & idcirco principium nobilitatis ſuæ ſtatuit, *Barbat. lib. 2. conſil.* 57. Prior tamen altero honorabilior erit, eo quod meritis propriis augeat virtutem & gloriam maiorum, idque & Baldo obſervatum videtur, *in l. nemini* 11. *C. de Advoc. Div. Iudicior.* & Tiraquello probatum, *de Nobil. c.* 5. Poſterior vero laudabilior, quod ſc. virtute ſe propria exſerat, *c. nunquam. §. fin. diſt.* 56. *Panor. in c. de multa. ex. de Preb. Et dig.*

Sed cum olim in Republica Romana & etiamnum paſſim Magiſtratus maiores, dignitate * functionum ſuarum nobiles habeantur, 6.
quæ-

quæritur, An qui nec genere, nec meritis talis factus est, revera nobilis sit habendus. Dubium movet, quod ad dignitatem plerique vel genere, vel meritis provehantur. Quia tamen Princeps aut Populus etiam nobiles immeritos facit. *arg.l. Barbarius. De Off. Prat.* iudicium eius & authoritatem hac in re grave fuerit labefactare. Tametsi negari non possit splendorem honorum ingenuum non leviter hac ratione convelli.

7. li. Si vero quis per errorem ad * Magistratuum dignitates legatur, cuius conditio ea est, ut par iis esse non possit, diversum dicemus. Quod accidit in persona Barbarii Philippi, qui cum servus fugitivus esset, Romæ præturam ambiit & adeptus est, *d.l. Barbarius.* Insinuarat enim sese gratiæ Antonii Triumviri, cuius authoritate dein ad clarissimam dignitatem evectus, à domino, qui eum in tribunali sedentem agnovit, deprehensus servus est. *Suidas in voce Barbarius. Vide eleganter hac de re D. Marcum Lyklama lib. 1. Memb. c. 6.*

8. Hic examinare libet, *an * Equites Romani nobiles fuerint.* Quod dicendum non est, eo quod semper habiti in plebe sint, & vix Senatores Romani hoc nomine honorati sint, nisi tamen iis parentibus nati essent, qui gessissent Magistratus. Sed equites primo ad iudiciorum munera admissi (quod L. Sempronia effectum, *Appian. lib. 1. de Bel. Civ. Velleius lib. 2.*) deinde à Cicerone Consule equestris ordinis honore separati, sedes in 14. Ordinibus theatrorum seorsim

acce-

acceperunt à plebe, *Plin. lib. 33. c. 1. in fine. Tacit. lib. 12.* Florus tamen autumat id plebiscito factum. *lib. 59. Epit.* Nomen vero Equitum haud aliunde fuit, quam quod equis * mererent. Quia 9.
origo eis à Celeribus fuit, quos Romulus instituerat temporibus primis. Et quidem distinctio eorum non à genere aut splendore virtutis fuit, sed censu solo. Is tamen quia amplissimus erat, adeoque Senatus, quia ex eo ordine sæpe suppletus est, Magistratus item ut ex Senatu lecti, à Cicerone (qui genus suum ad eos referebat) præstantiori quam reliqua plebs, loco habiti sunt. Idque tandem & Principes secuti, qui is & Magistratus nonnullos peculiares decrevere, quos puta secreto quod in Maiestatis sibi conservandæ, Senatoribus & Consularib. non æstimabant communicandos.

Difficilius idcirco his comparare * liceat or- 10.
dines nobilium nostrorum, hoc est, regionum & urbium maiorum optimates. Quod enim a-
m optimates hodie equestris ordinis audiunt verus omnino error est. Cui initium inde quod plerique maiores eorum pro more habuere, ut principibus * vel pueri ministerio, vel 11.
in consilio aut armis ministrarent, eaque occasione plerunque in pensationem fidelis ministerii, dignitate Equestri solent honorari. Sed cum ista re ipsa tantum personalis sit, atque à Ducibus & Comitibus etiam conferri soleant, *de Histor. Gelriæ, Hollandiæ, Ultrajectinæ provinciæ utriusque*, liberi eorum nunquam Equites audiunt

audiunt iure nativitatis, nisi ignorantia populari. Cuius rei certissimum argumentum est, quod eadem dignitas liberis nobilium denuo conferri solet. Denique ante quam paucos annos non equites, sed ministri seu famuli audivere, Germanice Knechten seu Knaben. Quod tamen Historici, qui patrum ævo scripsere, ut Hæda & Beka, milites verterunt. Sed in recessibus antiquis, & constitutionibus provincialibus Belgicæ, dicti sunt Knechten / quasi regionum ministri. Haud absurde tamen hodie nobiles dicuntur, cum competat plerisque definitio nobilium vel meritis, vel genere. Iam olim quidem etiam distincti a plebe fuere. *l. ult. D. Ad Municip.* sed præcipuum hoc nomen ante annos haud multos soli Duces & Comites habuere. Priscis certe temporibus nobiles quidem errore plebeio dicti, qui ab antiquo divites. *Arist. in Polit.* sed præceptionem iuris eius, quod sibi agrorum possessores primarii hodie vindicant, solo natalium prætextu, veteres omnino ignorarunt. Præterquam quod constat Romæ interdum nobiles dictos, Senatorios natos, quorum parentes gessérant maiores Magistratus; in Provinciis vero & Regnis exteris, natos ex regia stirpe. Ubi & patrum ævo Comitibus pene solis Nobilium nomen tributum fuit.

Amittitur vero nobilitas vita infimi. *Seneca lib. 2. contr. c. 6. Boet. de Consol. Phil. 3. pros. 6. Plato in lib. de Nobil.*

CAP.

CAPUT IX.

SUMMARIA.

1. *Quibus modis civitas quæratur & num. 2. 3. 4. 5. 6.*
7. *An cives sint qui cooptantur tantum honoris causa.*
8. *Quibus modis civitas amittatur.*

CIves vero fiunt in primis nativitate. Et quidem ratio * hæc civitatis acquirendæ universalis videtur, & gentibus pene omnibus recepta. Licet nonnullis populis usitatum sit, ut ex utroque parente cive demum cives nascantur; nonnullis sufficiat ex alterutro solo natos cive. Sufficientque in hanc rem mores singularum regionũ. Cum parum intersit utro modo civitatem consequamur, nisi ad rempublicam pertinere putemus, civitatẽ quoquo modo augeri. Manumissione * quoq; civitas quæritur, ut cum quis à cive manumittitur, *l.* 2. *C. de manum. ip. lib.* 10. *l.* 7. *C. de Incol. lib.* 10. Prudenter tamen Romani * ad conservandam civium suorum dignitatem, libertinos, hoc est, ex iusta servitute manumissos infimæ plebi ascripsere. Nuptiis etiam interdum * civitas quæritur, ut si quis nubat alterius municipii civi, *l.* 13. *C. de agri. lib.* 12. Sed & quod moribus nonnullorum locorum obtinet, ut maritus ducens uxorem ex alia civitate, ob hoc ejusdem civis fiat, eadem ratione est, *arg. l. si in patria* 5. *C. de incol.*

1. (margin, beside "dem ratio * hæc civitatis acquirendæ uni-")
2. (margin, beside "Manumissione * quoq;")
3. (margin, beside "Romani * ad conservandam")
4. (margin, beside "Nuptiis etiam interdum *")

5 Perinde & adoptione civitas quæritur, * ut si quis à cive alterius civitatis adoptetur, *l. cives. C*
6 *de Incol.* Sic cooptatione quis * civis fit, qui vel viritim, vel in populo integro cooptatur. Ut Italia in primis, dein totus orbis Romanus ab Antonino in civitatem est accitus. Idem fere fœderatis, ac legibus accidit, quæ populis devictis dicuntur. *arg. l. 7. D. de Capt. Et Postl. Reu.*
7 Qui tamen * cooptantur tantum causa honoris, ut Hercules & Alexander Corintho, *Sen. l. 1 de Benef. c. 13.* Demetrius Athenis, *Plutarch. in Demet.* Ludovicus xi. Galliæ Rex Helvetiis cives tantum imaginarii fuerunt non veri. Quando enim civis definitio eis non convenit, dicendum est, illos æquivoce tantum hoc nomine, & quidem honoris causa fuisse salutatos.
8. Amittitur Civitas * perditione libertatis, quæ fere maxima capitis diminutio dicitur, & deportatione, aquæve & ignis interdictione, quæ fere media capitis minutio dicta. *tit. D. & Inst. de Cap. Min.* Addimus migrationem & acquisitionem civitatis alterius. Si tamen quis civis Romanus Provincialis factus esset, redeundo postea in urbem, recipere civitatem quasi postliminio potuisset. Nam ut quis in universum civitatem Romanam perderet, aqua alicui & igni interdictum fuisse oportuit. *Cic. pro Balbo.* Sed est hac in re multum moribus singulorum populorum tribuendum. Quos sc. prudenter flecti conveniet prout civitati vel augendæ, vel conservandæ utilius videbitur.

CAP.

CAPVT X.

Summaria.

1. *Distributio reliqui tractatus huius libri.*
2. *Potestas patrisfamilias omnium reliquarum prima.*
3. *Familiae varia significatio.*
4. *Paterfam. quis.*
5. *Fœmina propriam familiam non habet. & 6.*
7. *Quot homines familiam constituant.*
8. *Familia interdum Republica aliqua maior.*

CIvium qualitate * & differentia explicata, 1.
sequitur nũc de jure singulis privatum permisso. In quo * considerantur i s familiarum, clien telarum & collegiorum, & quae quantaq; n is quibusque potestas sit, quia haec à statu publico non directo dependent. Et quidem imo de familiis agendum, quia eae rerum publicarum seminaria sunt. *Cic.* 1. *de Off.* Ex hoc enim principio in iure nostro sunt dotium, & utelarum favor, testamentorum solennitas, & milia. Denique imperium familiare in terris omnium primum fuit, Vt quidem ex Sacris 2.
teris; Iosepho, & aliis constet, qui mundi initia historiis complexi. Vt vix satis vere S lustius egium imperium primum omnium statuerit. ed & L o Apher historiae Aphricanae huius aeauctor perhibet, etiamnum in recessibus Aicae deprehendi populos haud aliis quam mperiis parentum aut agnatorum assuetos.

Familiæ autem significatio varia, modo pro
3. hereditate *accipitur, *ut in tit. Famil. Ercisc.* modo pro iure quod est inter patronum & liberos, modo pro agnatione aliqua tota, modo pro famulitio universo domini, *Vt tex. & Alciat. in l. pronuntiatio. 195. § familiæ, De Verb. Sig.* Sed hic nobis familia est Corpus personarum quæ sub unius patrisfamilias privata sunt potestate. Privatam vero potestatem ad differentiam publicæ dicimus, cum & Principes suas etiam familias privatas vel maximas habere soleant. Et eleganter Plinius lib. 8. Epist. *Servis respublica quadam &*
4 *quasi civitas domus est.* Paterfamilias *tamen dicitur etiam homo liber suæ potestatis, idque iuris & potestatis respectu, licet familiam ipso actu non habeat. Si tamen familiam habeat, ut caput corporis, ita ipse hoc est membrum eiusdem censetur. *l. familiæ 195. § 1. D. de Verb.*
5. *Sign.* Vxor interim patrisfamilias, *tametsi & ipsa materfamilias dicatur, familiam habere non censetur, cum patre mortuo liberi in eius potestate non sint, sed singuli familiam constituant
6 sibi. Licet latiori & populari *magis significatione familia quoque eadem dicatur cuius societas & victus coniunctus durat patre defuncto. Adeo ut vidua superstes etiamnum materfamilias dicatur, *l. pronuntiatum 46. §. 1. De Verb. Sign.*

7 At si quæratur quot *personæ familiam constituant ipso actu, non quinque cum Bodino l. 1. *de Rep. c.* 2. requiremus, sed tres tantum. Est enim

fami-

familia universitas. d. l. pronuntiatio. § familiæ. De Verb. sig. Universitas vero adeo perficitur personis tribus, ut & collegium iis perfici possit. l. Neratius. D. eod. tit. Denique & personas conductas in hanc rem sufficere dicemus, arg. l. perspiciendum 11. cum sim. D. de Pœn. Interea tamen * familia utcunque maxima, cum ei huius rei definitio conveniat, familia tantum erit. Ut de familiis patriarcharum, item Crassi ac Tuberonis dicendum. Quæ certe compluribus rebus publicis censeri maiores possint, Plut. in Æmil. 8.

CAPUT XI.

SUMMARIA.

1. *De iure patrumf. in singula familiæ membra.*
2. *De potestate patrumfam. in res suas.*
3. *Quanta sit potestas dominorum in servos & 4.*
5. *De potestate patrum in liberos*
6. *De officio liberorum in parentes. & 7 8 & 9*
10. *De potestate mariti in uxorem. 11. & 12.*
13. *De potestate in famulos conductitios.*
14. *An servitiorum usus in Republica bene constituta tolerandus.*

Videamus de Jure * & potestate patrum familias in familiæ singula membra. Paterfamilias igitur familiæ Princeps & caput est. Primarius vero hic constituitur primo in rebus, dein in personis. In rebus dicimus, quæ in patrimonio eius sunt, & facultate ei is disponendi pro ... e 1.

 quod

quod h[illegible]ber in singulas earum. Et de hoc nihil in proposito dicendum, quia id quale quantũque cuique in has vel illas sit, prope in facto consistit, nec præceptis facile comprehendi potest. Quatenus tamen id regulis tradi potuit, pene toto iure civili continetur nec ad tractatum de Republica pertinet, cum in eo plerunque ius privatum versetur. Illud tamen politi-
2. co in hac re * notandum: *Reipublica interesse, ne quis re sua male utatur*, §. *pen. Inst. de his qui sui vel al. iur. sunt.* Ex [illegible] principio sunt moderatio potestatis domi[illegible] in servos, patriæ in liberos, ius curationis, tutelæ in prodigos, minores, pupillos & similia. Quantum ad Principatum *in*
3. *personas* attinet, * is vel est in servos, vel in liberos, vel famulos conductitios, vel uxores. Primus in servos scil. hodie in Europa Christiana minus usitatus est, eo quod servitiorum usus ibidem iam à tempore Bartoli & paulo etiam ulterius cess[illegible]rit om[illegible]ino. Reducitur tamen hodie ab Hispanis iisque quibus præter hos cum Indis [illegible] [illegible] Aphricæ & Americæ [illegible]
4. quotidiana commercia sunt. Hic illud recte * annotatur, rametsi dominorum in servos potestas absoluta sit, quia tamen homines sunt, & idcirco na[illegible] a [illegible] ratione nobis æquales, non esse supra modum in eos sæviendum. *Vi[illegible] Inst. de His Qui Sui Vel Al. Iur. Sunt.* Quod primo [illegible]incipium constitutionibus Romæ [illegible], dein ceteris nationibus quoque dici[illegible] [illegible]ceptum.
5. Potestas vero patrum * in liberos iure Ro-

mano

mano tanta fuit, ut comprehenderit primo bona per liberos quæsita, dein ius quoque in personas eorum ipsas vitæ & necis. *l. in suis. D. de Lib. Et Posthum.* Num vero potestas tanta in bene constituta republica admittenda sit, quæritur: nos id non putamus. Summi enim periculi res fuerit cuique ius vitæ & necis permitti. Unde factum ut postea etiam in eos qui liberos necant, legibus publicorum judiciorum animadversum sit, *l. un. C. de His Qui Par. Vel. Lib. Occ.* Hanc tamen sententiam Bodinus oppugnat sed argumentis parum ad persuadendum necessariis. Nam quod ille putat id tuto permitti, quia parentes non nisi summis iniuriis lacessiti, & quæ formidari aliter nequeant, in eos gravem vindictam tentent: nō video quomodo probandæ huic opinioni sufficiat. Cum interim si quandoque aliter fiat, ea ratione parricidio facilius impunitas danda sit. Laudamus tamen consuetudines, quibus parentum querelæ de liberorum iniuriis gravissimi omnino ponderis censentur.

Reverentia vero quam liberi parentibus debent, tanta est *, ut in omnibus rebus licitis & 6.
adiaphoris iisdem parere teneantur. *vi. eleganter Cic. in Offi.* Et huc pertinent præcepta divina de obedientia parentum. Sed hoc ad illicita & naturali ratione inhonesta referendum non est. Quid ergo, si qua occasio sit,
quæ permittat * liberis ex confessione publi- 7.
ca parente; violare, aut dum reipublicæ hostes

 sunt,

sunt, occidere, an id permissum dicamus? non putamus, *arg.l.si adulterium.* 38. §.*liberto. D. Ad L. Iul.de Adult.* Pietas enim eis debetur, *l.pen. D de Obs. Patri Præst.*& quidem exulibus etiam, ac impiis legum contemptoribus, *Nov.* 12. *in fin. c.* 2. Et vero si pietas, qua ratione iniuriarum & cędis in eos impunitas sit permissa. Bartolus quidem satis ab ude diversum sensit, *in l. si adulterium* 8. §. *si liberto.* sed ingenue fallus, se non videre quibus argumentis. Invenit tamen qui sententiæ ipsius astipularetur, *Salic in l.* I. *C. de his qui par. vel lib. occ.* Rectius multo Bodinus decretum Senatus Veneti culpat, quo proscriptus (bannitum dicunt) civitati, familiæ, bonis & famæ, restitutus est, quod patri eadem pœna damnato caput amputasset. Quia scil. id præmii proscriptis propositum erat, qui alterum simili modo mulctatum capite truncasset. *Bodin.*
8. *d.lib.*1.*de Repub.c.*4. Certe nec *patri ipsi, gravem tametsi vim inferenti, resistere permissum est, & honestius multo erit cõ ulere sibi fuga quam resistere vel ullo violentiæ argumento. Vti exemplo Alexandri Magni, herois omnium ætatum, heroum omnium præstantissimi, docemur, qui a patre stricto gladio petitus non restitit, sed aufugit. *Plutarch.in Alex.* Quin & alias retorquere liberis iniuriã liceat adversus ipsam pietatem. Id vero admitti nulla ratio sinat.
9. Patria tamen potestas, quia privata est, *publicæ nulli obest. Vt recte Fabius Gurges commendatus ab ipso patre suo sit, quod cum ad se venien-

venientem equo descendere jusserit. Pater enim ob hoc, Perge, ei ait, Fili, Ista Virtute Tueri Consularem Dignitatem. Amplius tandem obtinuit, ut etiam minores dignitates hodie quem liberent patria potestate. *l. ult. C. de Decur. lib. 10.*

Isti proxima * potestas mariti in uxorem est, sed illa minor. Est enim inter conjuges communio vitæ & familiæ naturali quadam ratione, indeque eisdem æqualitas major. Quod igitur potestas hæc quoque olim alteri pene par fuit, *Halicar. lib 2. Cæs lib. 6 de Bell. Gall. vi. & Bod. d. lib* 1. c. 4. bona paulatim ratione mutatum est, cum & uxor materfamilias sit ut ille paterfamilias. Levius itaque maritus in eam modo animadvertere * potest, & re bene ponderata verbis & increpationibus monitoriis tantum, *gl. in l. 5. §. fin. Ad L. Aq. c. duo.* 23. *q.* 4. Delicta enim graviora relinquenda animadversioni magistratū censemus, *vi. tamen tex. & DD. in Nov.* 117. *c.* 4. idque reipublicæ tutissimum putamus. *arg. eorum quæ disseruimus paulo ante de patria potestate.* Denique in * famulos conductitios nemini plus juris est quam ut moderate increpari possint, vel castigari, *l.* 5. §. *fi. D. Ad L. Aquil.* Propriorum vero servorum usum in republica bene constituta non putamus ferendum, cum quod historiæ plenæ bellorum servilium sint, quæ * summum sæpe civitatibus periculum (ut Romæ) interdum & eversionem pepererere, ut Tyriis accidit olim à servis eiectis. *Iustin. lib.* 18. & Scytis ex Me-

10.
11.
12.
13.

 dia

dia redeuntibus à servis repulsis, *Herod. lib. 3.* & Novogradensibus ab expugnatione Corli. *Sigis Baro in Histor. Moscovit.*

CAPVT XII.

SUMMARIA.

1. *Clientela significatio quam varia*
2. *Quæ in proposito.*
3. *Eius origo unde.*
4. *Quæ permittenda.*
5. *Feudorum usus an in republica bene constituta tolerandus.*

1. SEquitur de iure clientelæ, nam & id fere privatum est. Clientelæ * vero significatio alias latior est, sed hic designat omne ius quo alter alterius defensioni, & is vicissim illi mutua obsequii relatione tenetur, uti vasallus domino feudi, subditus principi, cliens advocato, libertus patrono tenetur, & ita in similibus *Bud. in not. prior. in Pandect. D D. in l 1. C. Ut Nemo Ad*
2. *Suum Patroc. lib.* 11. In proposito vero * clientela eiusmodi est, quo Senatores Romani olim, & nunc aliquot locis nobiles plebeiis patrocinio, atque hi vicissim ipsis mutuis officiorum quasi obsequiis tenentur. *vide Dionys. Halic. lib. 1. Gell. lib 5. c. 13. Plut. in Rom.* Et quidem clientes interdum libertis comparantur, *ut in l 1. De his qui deiec. vel eff.* plenissimo interim iure libertatis gau-
3. dent, modo per se ingenui sint. Quod * a Romulo primum institutum perhibetur, ut tenuiores authoritate patrum tuti ab iniuriis poten-

viorum essent. *Halicar. d. lo.* eoq; id reipublicæ vtile putamus. Sed quod postea inualuit, vt splendidiores senatores quandoque singuli integras provincias clientelæ susciperent, qualem Cicero Siciliam habuit, *Cic. ad Atti. lib.* 14. minus tutum putamus. Idque eo quod * inde au- 4
cta potentia singulorum Reipublicæ periculosa sit. Quod & tandem à Principibus animaduersum, *l. 1. C. Vt nemo ad suum patroc. suscip. Rustic lib.* 11. Prohibent quidem ii tantum pensionem patronis præstandam, id tamen eo pertinet, ne continuæ & durabiles vniuersarum regionum aut vicorum contrahantur clientelæ. Quod sc. ea ratione priuatorum potentia nimia euadat, & idcirco publico statui ipsi sit metuenda.

Denique iuri clientelæ affine * cum ius feu- 5
dorum sit, num eius vsus reipublicæ tutus sit, videndum est. Dubium mouet quod consuetudo feudorum summum detrimentum attulisse videtur Imperio Romano, quodque hac ratione quoq; augeatur nimium potentia priuatorum. Cum plerique vasalli feudorum occasione occuparint principatum atque ita maiestatem fere vniuersi. Nos igitur hac in re distinguimus, vt quidem prædia arces in feudum conferri velle dicamus, quo sint, qui exigente occasione suis sumptibus militent, regiones vero integræ conferantur parum tute. Atque id Imperium Turcarum pro more habet eaque re munimen sibi imperii firmissimum statuit.

CAPVT

CAPUT XIII.

SUMMARIA.

1. *Collegium ſeu Corpus in civitate quid hic dicatur.*
2. *Corpora pagorum neceſſitas & utilitas expreſſit.*
3. *Quomodo Corpora toleranda ſint* & 4.
5. *Quo jure ad ſimilit. reipublicæ conſtent,* & 6. 7. 8.

1. SEquitur nunc * de collegiis & corporibus. *Collegium* ſeu *Corpus* definimus univerſitatem plurium civium, qui in certum aliquem finem contrahunt ſocietatem ad ſimilitudinem civitatis. Sed nulla collegia in civitate bene compoſita putamus toleranda, præterquam ſi utilitas ex iis aliqua ad rem publicã redundet. Qualia ſunt collegia opificum, quibus fere necesſitati civium proſpectum eſt, *arg. l. 1. C. de Suar.*
2. *lib. 11. tot. tit D. de coll. & corp. ill.* Sodalitia vero * in pagis & vicis ſingulis neceſſitas & utilitas expreſſit. Tutius tamen eſt ne ea quidem admitti, præterquã ex publico præſcripto. Ante omnia
3. vero cavendum, ne eis de rebus ad * rempublicam pertinentibus ſeorſim conſulere permittatur, nec ſtatuendi poteſtas alia quam de rebus pertinentibus ad corpora ipſa. Quæ eadem tamen & publicæ * cenſuræ ſubiici oportet. Va-
4. lent enim ſtatuta eorum inſtar conventionum privatarum. Quod igitur eis ad exemplum rei-
5. publicæ * habere arcam, & actorem ſive ſyndi-

cum

cum communem licet, *l. 1. §. 2. Quod cui vn. non.* id omne prope continetur jure ſocietatis, *d. l. 1. §.* 1. Illud intereſt, quod ſocii ex contractu ſocietatis eidem acquieſcere coguntur, & ſi quis id detrectet, vel uni pro ſocio agere permiſſum eſt, *l. cum duobus 52. §. item. l. 69. Pro ſoc.* adeoque ſocietas ſolvitur ſocii morte; in decretis vero corporum quod pars maior decrevit, abrogare placita priora poteſt *l. pen. de decr. ab. ord. fac.* & corpora ipſa durant etiam in quam paucis. Proinde quæ eiſdem rebuſpublicis comparantur, iure communioris * fit, eo quod debitum uni- 6.
verſitati, ſingulis non debeatur, nec quod univerſitas debet debeant ſinguli *l. 7. §. 1. D. quod. cu. vn u. nom.* Verum tamen * eſt id quoq; quod 7.
ad aliquam civitatem pertinet, Latinis publicum dici, ſed abuſive, cum proprie publica dicantur pertinentia ad civitatem Romanam. *l. bona civitatis. 15. de verb. Sign.* Idque propter amplitudinem & eminẽtiam imperii eiuſdem. Collegiis vero privatis diximus poteſtatem * 8.
deliberandi de republica permittendam non eſſe quia ex occaſione eius rei ſæpe ſeditiones oriri ſolẽt. Vti Coloniæ Vbiorum & alibi compertum eſt ſæpe. Cum creandi poteſtas iis foret ſub prætextu deliberandi de rebus privatis.

Libri primi finis.

LIBER

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

SUMMARIA.

1. *Altera Reipublicæ pars eiusdem status.*
2. *Partitionis huius utilitas.*
3. *Status quid.*
4. *In eo quid consideret Politicus.*
5. *Principatus vox homonyma.*
6. *Quid hic sit.*
7. *Maiestas quid.*
8. *Principatus alteri subiectus an maiestatem habeat.*
9. *Magistratus non nulli interdum legib. soluti.*
10. *Utrum Imperatori competat Italiæ & Germaniæ summa.*
11. *Regum Daniæ & Poloniæ potestas qualis.*

1. ALteram Reipublicæ * partem constituimus eiusdem statum. Qua quidem distri-
2. butione id nobis assecuti videmur *, ut methodice, & ex artificio Logico doctrinam hanc conscribere queamus. Utut enim compluribus idem præstare tentatum sit, polliciti tamen methodum pleriq; magis sunt quam assecuti. Aristoteles quidem vidit eam & intellexit, observavit etiam bona ex parte, sed si epistolæ eius ad Alexandrum habenda fides est, qua palam

profitetur se ita vulgare præstãtissima quæque, quasi non scripta, *Plut. in Alex.* pleraque sua studiosa confecit obscuritate. Sed ad rem. Est autem status nihil aliud, quam pars Reipublicæ, qua continetur Constitutio, * & Ordo Publicus totius civitatis. Hic igitur Græcis πολιτία, Aristoteli *vita*, Isocrati *anima civitatis* dictus est. 3.
In eo considerat politicus * primo constitutionem eius interiorem, dein media externa eiusdem conservandæ. Constitutio interior posita est in Principatu & Munerib. Publicis. Principatus vero vox * alias homonyma est, & quemcunque primatum designat. Vt cum Latini authores Principes civitatis dicunt pro Senatu vel Magistratu urbano etiam alteri subiecto, & in beneficiis (quæ vidimus) veterum imperatorum, quibus vasallis imperii conferri Principatus in feuda solent. Hic vero accipitur nobis pro reipublicæ * summa, quam & alio nomine Maiestatem, seu Ius Maiestatis nuncupamus. Id igitur qui habet Princeps est. Definimus autem Maiestatem * Ius & Potestatem Reipublicæ supremam & legibus solutam. Non igitur magnitudinem regionis aut urbis in hac re consideramus, sed imperium absolutum solum. Vt quidem minimæ insulæ Rex illud non minus quam Turcarum, Persarum, Tartarorum aut maximus omnium Hispanorum habeat. Nec adeo magis quam vel minimæ civitatis dynasta. 5. 6. 7.

Sæpe

8. Sæpe tamen is quoque qui * alteri subiectus
est, Princeps aut Rex dicitur, & maiestas quæ-
dam ei tribuitur, sed omnino καθ' ὁμωνυμίαν.
Quo sensu Latini Tetrarchas interdum Reges
dixere, & etiamnum Bohemiæ, Neapoleos, Si-
ciliæ & alia regna dicuntur, quæ tamen dependen-
dent a Maiestate imperii Romani, uti & Maie-
statis ipsius vox etiam quandoque tributa di-
gnitati maiorum magistratuum Romanorum
est, *l. pen. de iust. & iure & l. 9 De Iurisdict.* Id tamen
omne abusive, cum qualecunque ius eorum
fere vel ex privilegio vel ex beneficio sit. Pro-
fusus ut DD. civitates imperii liberas, Duces item
Comites & Barones tantum iuris esse in suis
territoriis perhibent, quantum imperatori in
imperio. *Bart. in l. infamem. num. 14 D. de publ. iu-*
9. *dic.* Quin & magistratus * interdum Legibus
solvuntur, uti Romæ olim Pompeio & aliis il-
lis singularibus accidit, sed eorum potestas ca ra-
10. tione reipublicæ suprema non erat. Quod * ve-
ro Bodinus imperatori ipsi vix tribuendam Ita-
liæ & Germaniæ maiestatem putat, errore non
caret, cum omnibus iis fruatur, quibus Princi-
pes pene omnium gentium iure. Privilegia e-
nim etiam absentibus Imperii Ordinibus tri-
buit. De Bello vero, Pace, Monete, legibus
Imperii statuit, sed posteriora hæc Senatus, hoc
est Ordinum Imperii consensu. Quos ipse quo-
que (contra quam Bodinus ratus est) in eum
finem conscribere solet, sed omne hoc more
principali, i.e. Ordinum seu Senatus consensu

Sed

Sed in Dania * & Polonia potissimum au- II.
thoritas Regia paulo minor est, cum & Rex in
iis regionibus difficilius de capite alicuius o-
ptimatum statuere possit, & praeterea ab Ordi-
nibus regnorum ei adiunctus aliquis perpetuo
Senatus sit. Posterius tamen hoc eis cum ple-
risque Principibus commune est. Prius vero
Optimates ex privilegio habent, prorsus ut ci-
ves Romani supplicio capitis Lege Sacrata fue-
runt exempti. Et quidem tametsi eorum regum
imperium morte finiatur, fallit tamen rursus in
hoc Bodinus, quod perhibet eos arbitratu Or-
dinum moveri loco posse. Neque enim id ita
est, adeoque nec solio moveri possunt ex causâ
alia, quàm quae vel quosvis Reges moveri di-
gnitate & imperio cogat. Ea vero est tyrannis,
& necessitas resistendi extrema. *vi. Cels. Iun. Brut.
in lib. Vindic. contra Tyran.*

CAPVT II.

SUMMARIA.

1. *Principatus totius civilis status caput.*
2. *In quibus consistat.*
3. *Quae sint jura Majestatis & 4. 5 & 6.*
7. *Azonis & Lotarii ICtorum lis.*
8. *An jus extremae provocationis, & imperium mixtum recte referantur ad capita majestatis, & 9.*
10. *Item an jus restituendi contra sententiam.*

PRincipatus igitur seu * Ius Maiestatis uni- I.
versi ordinis civilis caput est, & proinde pri-

mo de propriis eiusdem notis agendum Ea ve
2. ro consistunt in potestate * exercendi illa quæ politicis nonnullis dicuntur capita Maiestatis. Hęc vero numero quinque statuimus, Primum ius legis condendæ & abrogandæ, à quo tamen
3. * tanquam capite cetera pendere videntur. Nec adeo quisquam proprie ius maiestatis habere dicendus est, nisi cui hæc facultas adsit, & vice versa cui eadem est, etiam adesse ius maiestatis censetur, *arg.l.1.de const.princ.* Alterum statuimus ius decernendi de Bello ac Pace; *l.un.*
4. *C.ut arm.us.* Tertium Tributa indicēdi;* Quartum Monetæ cudendæ; Quintum Conferendi
5. * summos honores & magistratus.

At opponatur fortasse quod complura horum etiam interdum tribuantur iis videantur qui tamen alterius maiestati sunt subiecti. Sicenim Principes beneficiarii seu vasalli alterius complures plerique eorum gaudent. Verum omne hoc vel ex privilegio vel feudo fit, utrovis autem modo fiat, vicarium id universum est.

6. Denique * nec alia capita maiestatis agnoscimus. Ius enim Gladii quod ab aliis eodem refertur, ex iis quidem est quæ Principi quandoque reservantur, sed hoc eo quod id ... s magistratibus solet committi, & quidem non aliis quam quibus id lege speciali fuit concessum. Cuiusmodi tamen & alia fere, ut datio tutelæ & similia. Qui vero eadem retulerit ad capita maiestatis, omnino ineptus sit. Recte tamen

Hinc * Azo C. à Lothario ex sententia Impe- 7.
ratoris Henrici Lutselburgici victus est, quod
male contenderet, ius gladii etiam ad magistra-
tus pertinere quibus id speciali lege fuit con-
cessum. Licet enim DD. pleriq; ita statuant, e-
quum sub sponsione inter eos victori dandum
depositum, Lotarium tulisse, Azonem vero æ-
quum: sententia tamen ea recipienda non est.
Verum enim est potestatem gladii, quam & me-
rum imperium dicimus, Principis solius esse,
sed non uti caput aliquod maiestatis, verum uti
ea quæ sunt in Principatus quasi proprietate.
Quibus consequens est illam nec ad Iura Ma-
iestatis, nec ad iura magistratuum referendam,
sed medium aliquod inter utraq; tenere.

Male quoq; Bodinus * eodem refert ius ex- 8.
tremæ provocationis *lib 5. de Rep. c. ult.* peius Bar-
tolus imperium quod iuri nostro dicitur mix-
tum quem & alii sequuntur. *in l. 1. de off. eius
cui. mand. iurisd.* Vtraque enim hæc ad officia
magistratuum pertinent, qui tamē legibus sunt
astricti & subiecti *l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpil.* cum
interim maiestas eisdem sit soluta. Et quidem
Bartoli error hac * in re adeo manifestus est, ut 9.
refutationem non mereatur. Quippe qui
aliud aliunde originem habere videtur, quam
promiscua vocis usurpatione. Cum & im-
perium dicatur jus Maiestatis, & Magistra-
tus, sed tantum ὁμονυμῶς. Vt quidem illi &
antiquitatū & Latinitatis ignari facile in absur-
da acti, nō distinxerunt res diversissimas multo.

Sic & provocatio extrema etiam magiſtratibus interdum, & iis etiam competit qui ne quidem ſupremi ſunt, cum forte ab una eademque cauſa conſimili ſententia definita tertio appellatio tentatur. *l. un. C. ne lic. in una ead. cauſ. tertio apell.* Sed & in pleriſque rebuſpublicis maioribus fere ſemper id iuris alicui magiſtratuū eſt, imo & interdum præſidibus ſingulis, uti Romæ id habuere præfecti prætorio. Certe id etiamnum diverſis curiis & civitatibus uſitatum eſt, quæ tamen libertatem ſuam privilegio Imperii Romani acceptam ferunt; Ut Daventriæ, Campis, Zuollæ, inferioris Germaniæ populis.

10. Probabilius Bodinus * eo retulit poteſtatem reſtituendi adverſus ſententias magiſtratus, *arg. tit. C. ſent. reſc. non poſſe.* Hoc tamen, re melius inſpecta, quoque male, cum idem & magiſtratui ratione officii adſit, *l. 16. §. fin l. 17. & 18. de minorib. fac. c. pen. ex. de in int. reſt.* Error eius inde quod Galliæ moribus reſtitutiones impetrari à Rege ſolent. *vi. noſtra ad l. 1. de in int. reſt.* Dimittere tamen condemnatum eo referas recte. Puta quoties id fit ſine cauſa iuſta aut æqua, ſolius gratiæ aut miſericordiæ motu. Id tamen re ipſa ad caput primum pertinet, cum id faciendo deroget legi.

CAP

CAPVT III.

Summaria.

1 *Status Reipublicæ omnis vel Dominatus vel Principatus.*
2 *Lapsus Politicorũ in hac re.*
3 *Dominatus quid.*
4. *Quo iure utatur consilio.*
5. *Potestas eius familiaris similis.*
6. *Romanorum status partim in Principatu partim in Dominatu.*

HIs positis videndum * ordine de generibus 1.
diversis Reipublicæ status. Prout igitur
Reipublicæ summa seu ius maiestatis apud u-
num plures vel omnes est, status ipse quoque
venit dividendus. Et quidem inde Principatus
omnis in primis vel simplex ut Dominatus, vel
compositus est ut Principatus. Hanc vero divi-
sionem præmitti oportuit priusquam ad ulte-
riorem status civilis partitionem progredere-
mur. Et est hac * in re à politicis, quantum 2.
quidem nobis constat, omnibus peccatum,
quod Dominatum solum considerarint in per-
sona unius. Cum interim idem & ad Principa-
tum plurium pertineat. Qua ratione Romani
statu Optimatum primo, dein populari com-
positi in devictas gentes, quas in provincias
redigebant exercuere Dominatum, & etiamnũ
Hispani in Principatu unius mixto eundem in
Asia, Aphrica, Peruana America exercent. Do-
minatus est Principatus absolutus, in quo rei

Summa eius populi qui dominatui paret, fere
3. à dominantium arbitrio dependet. Eiusmodi hodie in Europa sunt Principatus Turcarum, & Moscovitarum in Asia Persarum, Tartarorū, & Regum Hispanorum, in partibus orbis terrarum iam memoratis. Et hunc Latini authores interdum in forma status Regii in specie Regnum dicunt. Vt cum de Caligula scribitur, parum absuisse quin Principatum converteret in Regnum. Sic & Exactos Reges cum dicunt dominatores intelligunt. Licet enim Romulus plene Principatum sub nomine status Regii instituerit, eo quod præmagnam authoritatem Senatui, imo & Populo reliquerit *vt. Liv. & Dion. Halicar.* Tarquinius tamen Superbus immutarat eundem in liberrimum Dominatum, imo & tyrannidem meram. *Histor. Rom. passim.* Illud in statu Dominantis observandum, eum qui-
4. dem * plerumq; consilium aliquod præcipuorum magistratuum habere cui graviora quæq; communicet, non tamen teneri eum iisdem, adeoque & aliter eum, quam isti consulant, agere pro arbitrio posse. Deniq; & in bona subditorum sibi non imperium modo sed & prope Dominium usurpant maxime si bello devicti sint. Certe exactionum ac tributorum modum excedere pro libitu possunt, eo quod nul-
5. lus ordo ei dicere legem queat. Plane si in * hac quoque re modum excedant, vel sævitia nimia agant, non minus ipsi quam Principes potestate abutentes tyranni censentur. Id vero ut

statu-

ſtatuimus tribus potiſſimum argumentis efficitur. Primo quidem, quia omnis Principatus adeoque ſtatus politiæ totius, civium omnium & ſingulorum ſit cauſa, uti ſupra demonſtravimus late. *lib.*1 *c.* 3. 4. 5. Secundo, quia bona ſingulorum invadendo Dominatus fines excedat, quippe qui non dominium ei in bona ſingulorum conferat, ſed in rempublicam & civitatis ſtatum. Tertio, ſi aliter ſtatuatur, dicendum fuerit, Dominatori licitum eſſe tyrannum agere. Id vero abſurdum foret, nec minus igitur unde id ſequeretur. Denique & dominia ſingulorum invertere ita poterit, ſi id reipublicæ expediat, Alias enim ſententia Senecæ perpetua eſt: REX OMNIA IMPERIO POSSIDET, SINGULI DOMINIO. Sed quod paulo ante monuimus * Romanos in civitatem quidem 6.
Principatum exercuiſſe, in provincias Dominatum, plerisque uti novum ita paradoxon videbitur. Id tamen ut perſuadeam. Iuriſconſultos appello, quibus compertum eſt Provinciales ne quidem fixum certumque rerum ſuarum dominium, ſed ſolam poſſeſſionem habuiſſe. Adeo vero ut ne quidem poſſeſſio temporis etiam longiſſima rerum provincialium tribuat uſucapionem. Vnde loco eiuſdem recepta earundem præſcriptio fuit, quæ quidem exceptionem pariebat ad excludendam actionem, directam vero actionem non concedebat ſed utilem tantum *l. un. C. de uſucap. transformat. Cujac. lib. in Parat.* Vnde & agros provinciales

militibus, itemque colonis distribuebant, adeoque de iis non minus libere quam quæ in fiscum redacta erant disposuere semper. Prorsus ut Hispaniarum Rex hodie in Pervanis regionibus fundos omnes dominio possidet, & subditis singulis ad similitudinem bonorum emphyteuticorum elocat. Idque fere tantum pro tempore vitæ subditorum. Quod certissimum omnium veræ dominationis argumentum est.

CAPUT IV.

SUMMARIA.

1. *Status altera divisione triplex Monarchia, Aristocratia, Democratia.*
2. *Monarchia quid.*
3. *Definitio eius explicata.*
4. *Quid sit Senatus.*

1. SEcundo pro diversitate eorum qui Maiestatem obtinent, status omnis * vel Monarchiam refert seu Principatum Unius, vel Aristocratiam seu Optimatum, vel Democratiam seu Popularem. Ad primum quod attinet, is fere Regnum dicitur, vel Principatus in specie. Regnum hic nobis est dominatus unius;
2. Principatus autem, cui unus cum * Ordine Senatorio iure suo præest Reipublicæ Summæ
3. solus & perpetuo. Una cum Ordine * Senatorio, inquam, quia hac ratione distinguitur Principatus à Dominatu seu Regno in specie acce-

accepto. Quia id Senatum non admittit. Solus dicimus, cum Monarchia nō constet nisi Principatu unius. Addimus perpetuo, eo quod & Magistratibus nonnullis Summa Reipublicæ ad tempus committi solet, uti Consulibus, & Dictatoribus Romanis. Qua ipsa ratione & addidimus iure proprio, cum magistratus eum quem habēt Primatum fere à Populo aut Principe Obtineant tanquam officiales. Ut vero illud quod de ordine Senatorio adiunximus, intelligi possit, superest ut quid sit Senatus explicemus. Senatus itaque nobis * est Collegium Civium, qui de Republica Summamque eius concernentibus consulendi, statuendique vel seorsim, vel una cum Principe iure suo authoritas est. Seorsim vel una cum Principe dicimus, utro scil. modo idem à populo aut Principe est institutum ab initio. Unde quidem Princeps Romanus se ipse partem Senatus profitetur, *l. 8. C. de dignit.* ut & vice versa Senatus Principis censetur pars, *l. quisquis in princ. C. ad L. Iul. Maiest.* Non igitur Consilia principum secreta, quæ aulica vulgo, huc referenda sunt. Quippe quæ iure proprio fere nihil habent, & nihil adeo in Republica universa, præter id quod ei à principe mandatur. Proinde inter Consilia eiusmodi, & Senatum pene tantum interest, quantum inter Magistratum & iudicem datum. Quod scil. ut iudex datus Iure Romano ex præscripto Magistratus cognoscebat, sic consilia hæc fere ex principum præscripto.

CAPUT XIII.

SUMMARIA.

1. *Collegium seu Corpus in civitate quid hic dicatur.*
2. *Corpora pagorum necessitas & utilitas expressit.*
3. *Quomodo Corpora toleranda sint* & 4.
5. *Quo iure ad similit. reipublicæ constent,* & 6. 7. 8.

1. SEquitur nunc * de collegiis & corporibus.
Collegium seu *Corpus* definimus universitatem plurium civium, qui in certum aliquem finem contrahunt societatem ad similitudinem civitatis. Sed nulla collegia in civitate bene composita putamus toleranda, præterquam si utilitas ex iis aliqua ad rempublicā redundet. Qualia sunt collegia opificum, quibus fere necessitati civium prospectum est, *arg. l.* 1. *C. de Suar.*
2. *lib.* 11. *tot. tit. D. de coll. & corp. ill.* Sodalitia vero * in pagis & vicis singulis necessitas & utilitas expressit. Tutius tamen est ne ea quidem admitti, præterquā ex publico præscripto. Ante omnia
3. vero cavendum, ne eis de rebus ad * rempublicam pertinentibus seorsim consulere permittatur, nec statuendi potestas alia quam de rebus pertinentibus ad corpora ipsa. Quæ eadem tamen & publicæ * censuræ subiici oportet. Va-
4. lent enim statuta eorum instar conventionum privatarum. Quod igitur eis ad exemplum rei-
5. publicæ * habere arcam, & actorem sive syndicum

cum communem liceat, *l.* 1. §. 2. *Quod cui. vn. non.* id omne prope continetur jure societatis, *d. l.* 1. §. 1. Illud interest, quod socii ex contractu societatis eidem acquiescere coguntur, & si quis id detrectet, vel uni pro socio agere permissum est, *l. cum duobus.* 52. §. *item. l.* 69. *Pro soc.* adeoque societas solvitur socii morte; in decretis vero corporum quod pars maior decrevit, abrogare placita priora potest *l. pen. de decr. ab. ord. fac.* & corpora ipsa durant etiam in quam paucis. Proinde quod eadem reipublicis comparantur, iure communior is * fit, eo quod debitum universitati, singulis non debeatur, nec quod universitas debet debeant singuli *l.* 7. §. 1. *D. quod. cui. vn u. nom.* Verum tamen * est id quoque, quod ad aliquam civitatem pertinet, Latinis publicum dici, sed abusive, cum proprie publica dicantur pertinentia ad civitatem Romanam. *l. bona civitatis.* 15. *de verb. Sign.* Idque propter amplitudinem & eminentiam imperii eiusdem. Collegiis vero privatis diximus potestatem * deliberandi de republica permittendam non esse, quia ex occasione eius rei sæpe seditiones oriri solet. Vti Coloniæ Vbiorum & alibi compertum est sæpe. Cum coeundi potestas is foret sub prætextu deliberandi de rebus privatis.

6.
7.
8.

Libri primi finis.

LIBER

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

SUMMARIA.

1. *Altera Reipublicæ pars eiusdem status.*
2. *Partitionis huius utilitas.*
3. *Status quid.*
4. *In eo quid consideret Politicus.*
5. *Principatus vox homonyma.*
6. *Quid hic sit.*
7. *Maiestas quid.*
8. *Principatus alteri subiectus an maiestatem habeat.*
9. *Magistratus nonnulli interdum legib. soluti.*
10. *Utrum Imperatori cōpetat Italiæ & Germaniæ summa.*
11. *Regum Daniæ & Poloniæ potestas qualis.*

1. ALteram Reipublicæ * partem constituimus eiusdem statum. Qua quidem distri-
2. butione id nobis assecuti videmur *, ut methodice, & ex artificio Logico doctrinam hanc conscribere queamus. Utut enim compluribus idem præstare tentatum sit, pollicitum tamen methodum plerique magis sunt quam assecuti. Aristoteles quidem viam eam & intellexit, observavit etiam bona ex parte, sed si epistolæ eius ad Alexandrum habenda fides est, qua palam pro-

profitetur se ita vulgare præstantissima quæque, quasi non scripta, *Plut. in Alex.* pleraque sua studiosa confecit obscuritate. Sed ad rem. Est autem status nihil aliud, quam pars Reipublicæ, qua continetur Constitutio, * & Ordo Publi- 3.
cus totius civitatis. Hic igitur Græcis πολιτεία, Aristoteli *vita*, Isocrati *anima civitatis* dictus est. In eo considerat politicus * primo constitutio- 5.
nem eius interiorem, dein media externa eiusdem conservandæ. Constitutio interior posita est in Principatu & Munerib. Publicis. Principatus vero vox * alias homonyma est, & 6.
quemcunque primatum designat. Vt cum Latini authores Principes civitatis dicunt pro Senatu vel Magistratu urbano etiam alteri subiecto, & in beneficiis (quæ vidimus) veterum imperatorum, quibus vasallis imperii conferri Principatus in feudum solent. Hic vero accipitur nobis pro reipublicæ * summa, quam & alio nomine Maiestatem, seu Ius Maiestatis nuncupamus. Id igitur qui habet Princeps est. Definimus autem Maiestatem * 7.
Ius & Potestatem Reipublicæ supremam & legibus solutam. Non igitur magnitudinem regionis aut urbis in hac re consideramus, sed imperium absolutum solum. Vt quidem minimæ insulæ Rex illud non minus quam Turcarum, Persarum, Tartarorum aut maximus omnium Hispanorum habeat. Nec hi adeo magis quam vel minimæ civitatis dynastæ.

Sæpe

8. Sæpe tamen is quoque qui * alteri subiectus
est, Princeps aut Rex dicitur, & maiestas quædam ei tribuitur, sed omnino κατ' ὁμωνυμίαν. Quo sensu Latini Tetrarchas interdum Reges dixere, & etiamnum Bohemiæ, Neapoleos, Siciliæ & alia regna dicuntur, quæ tamen dependent a Maiestate imperii Romani, uti & Maiestatis ipsius vox etiam quandoque tributa dignitati maiorum magistratuum Romanorum est, *l. pen. de iust. & iure & l. 9 De Iurisdict.* Id tamen omne abusive, cum qualecunque ius eorum fere vel ex privilegio vel ex beneficio sit. Prorsus ut DD. civitates imperii liberas, Duces item Comites & Barones tantum iuris esse in suis territoriis perhibent, quantum imperatori in imperio. *Bart. in l. infamem. num. 14 D. de publ. iu-*
9. *dic.* Quin & magistratus * interdum Legibus solvuntur, uti Romæ olim Pompeio & aliis ll. singularibus accidit, sed eorum potestas ea ra-
10. tione reipublicæ suprema non erat. Quod * vero Bodinus Imperatori ipsi vix tribuendam Italiæ & Germaniæ maiestatem putat, errore non caret, cum omnibus iis fruatur, quibus Principes pene omnium gentium iure. Privilegia enim etiam absentibus Imperii Ordinibus tribuit. De Bello vero, Pace, Monetæ, legibus Imperii statuit, sed posteriora hæc Senatus, hoc est Ordinum Imperii consensu. Quos ipse quoque (contra quam Bodinus retulit est) in eum finem conscribere solet, sed omne hoc more principali, i.e. Ordinum seu Senatus consensu.

Sed

Sed in Dania * & Polonia potissimum au- thoritas Regia paulo minor est, cum & Rex in iis regionibus difficilius de capite alicuius optimatum statuere possit, & præterea ab Ordinibus regnorum ei adiunctus aliquis perpetuo Senatus sit. Posterius tamen hoc eis cum plerisque Principibus commune est. Prius vero Optimates ex privilegio habent, prorsus ut cives Romani supplicio capitis Lege Sacrata fuerunt exempti. Et quidem tametsi eorum regum imperium morte finiatur, fallit tamen rursus in hoc Bodinus, quod perhibet eos arbitratu Ordinum moveri loco posse. Neque enim id ita est, adeoque nec solio moveri possunt ex causa alia, quam quæ vel quosvis Reges moveri dignitate & imperio cogat. Ea vero est tyrannis, & necessitas resistendi extrema. *vi. Cels. Iun. Brut in lib. v indu. contra Tyran.* 11.

CAPVT II.

Summaria.

1. *Principatus totius civilis status caput.*
2. *In quibus consistat.*
3. *Quæ sint iura Majestatis & 4. 5. & 6*
7. *Azonis & Lotarii ICtis.*
8. *An jus extremæ provocationis, & imperium mixtum recte referantur ad capita majestatis, & 9.*
10. *Item an ius restituendi contra sententiam.*

Principatus igitur seu * Ius Maiestatis universi ordinis civilis caput est, & proinde pri- 1.

mo de propriis eiusdem notis agendum. Et vero
2. ro consistunt in potestate * exercendi illa quæ
politicis nonnullis dicuntur capita Maiestatis.
Hęc vero numero quinque statuimus, Primum
ius legis condendæ & abrogandæ, à quo tamen
3. * tanquam capite cetera pendere videntur.
Nec adeo quisquam proprie ius maiestatis habere
dicendus est, nisi cui hæc facultas adsit, &
vice versa cui eadem est, etiam adesse ius maiestatis
censetur, *arg.l.1.de const.princ.* Alterum
statuimus ius decernendi de Bello ac Pace; *l.un.*
4. *C. ut arm.us.* Tertium Tributa indicēdi; * Quartum
Monetæ cudendæ; Quintum Conferendi
5. * summos honores & magistratus.

At opponatur fortasse quod complura horum
etiam interdum tribuantur iis videantur qui
tamen alterius maiestati sunt subiecti. Sic enim
Principes beneficiarii seu vasalli alterius
complures plerisque eorum gaudent. Verum
omne hoc vel ex privilegio vel feudo fit, utrovis
autem modo fiat, vicarium id universum
est.

6. Denique * nec alia capita maiestatis agnoscimus.
Ius enim Gladii quod ab aliis eodem
refertur, ex iis quidem est quæ Principi quandoque
reservantur, sed hoc eo quod id raro
magistratibus solet committi, & quidem non
aliis quam quibus id lege speciali fuit concessum.
Cuiusmodi tamen & alia fuere, ut datio
tutelæ & similia. Qui vero eadem retulerit ad
capita maiestatis, omnino ineptus sit. Recte

tamen

tamen * ... zo ... Ca L...th...io ex sententia Impe- 7.
r...is H...rici Lutselbu...gici victus est, quod
male contenderet, ius gladii etiam ad magistratus pertinere quibus id speciali lege fuit concessum. Licet enim DD. plerique ita statuant, equum sub sponsione inter eos victori dandum depositum, Lotarium tulisse, Azonem vero æquum: sententia tamen ea recipienda non est. Verum enim est potestatem gladii, quam & merum imperium dicimus, Principis solius esse, sed non uti caput aliquod maiestatis, verum uti ea quæ sunt in Principatus quasi proprietate. Quibus consequens est illam nec ad Iura Maiestatis, nec ad iura magistratuum referendam, sed medium aliquod inter utraque tenere.

Male quoque Bodinus * eodem refert ius ex- 8.
tremæ provocationis *lib 5. de Rep. c. ult.* peius Bartolus imperium quod iuri nostro dicitur mixtum quem & alii sequuntur. *in l. 1. de off. eius cui mand. iurisd.* Vtraque enim hæc ad officia magistratuum pertinent, qui tamē legibus sunt adstricti & subiecti *l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpil.* cum tamen iis maiestas eisdem sit soluta. Et quidem Bartoli error hac * in re adeo manifestus est, ut 9.
refutationem non mereatur. Quippe qui haud aliunde originem habere videtur, quam ex promiscua vocis usurpatione. Cum & imperium dicatur jus Maiestatis, & Magistratuum, sed tantum ὁμωνύμως. Vt quidem illi & antiquitatū & Latinitatis ignari facile in absurdu adt, nō distinxerunt res diversissimas multo.

Sic & provocatio extrema etiam magistratibus interdum, & iis etiam competit qui ne quidem supremi sunt, cum forte ab una eademque causa consimili sententia definita tertio appellatio tentatur. *l.un. C. ne lic. in una ead. caus. tertio apell.* Sed & in plerisque rebuspublicis maioribus fere semper id iuris alicui magistratuũ est, imo & interdum præsidibus singulis, uti Romæ id habuere præfecti prætorio. Certe id etiamnum diversis curiis & civitatibus usitatum est, quæ tamen libertatem suam privilegio Imperii Romani acceptam ferunt; Ut Daventriæ, Campis, Zuollæ, inferioris Germaniæ populis.

10. Probabilius Bodinus * eo retulit potestatem restituendi adversus sententias magistratus, *arg. tit. C. sent. resc. non posse.* Hoc tamen, re melius inspecta, quoque male, cum idem & magistratui ratione officii adsit, *l. 16. §. fin l. 17. & 18. de minorib fac c. pen ex. de in int. rest.* Error eius inde quod Galliæ moribus restitutiones impetrari à Rege solent. *vi. nostra ad l. 1. de in int. rest* Dimittere tamen condemnatum eo referas recte. Puta quoties id fit sine causa iusta aut æqua, solius gratiæ aut misericordiæ motu. Id tamen re ipsa ad caput primum pertinet, cum id faciendo deroget legi.

CAP

CAPUT III.

Summaria.

1. *Status Reipublicæ omnis vel Dominatus vel Principatus*
2. *Lapsus Politicorũ in hac re.*
3. *Dominatus quid.*
4. *Quo iure utatur consilio.*
5. *Potestas eius familiari similis.*
6. *Romanorum status partim in Principatu partim in Dominatu.*

His positis videndum * ordine de generibus 1.
diversis Reipublicæ status. Prout igitur Reipublicæ summa seu ius maiestatis apud unum plures vel omnes est, status ipse quoque venit dividendus. Et quidem inde Principatus omnis in primis vel simplex ut Dominatus, vel compositus est ut Principatus. Hanc vero divisionem præmitti oportuit priusquam ad ulteriorem status civilis partitionem progrederemur. Et est hac * in re à politicis, quantum 2.
quidem nobis constat, omnibus peccatum, quod Dominatum solum considerarint in persona unius. Cum interim idem & ad Principatum plurium pertineat. Qua ratione Romani statu Optimatum primo, dein populari compositi in devictas gentes, quas in provincias redigebant exercuere Dominatum, & etiamnũ Hispani in Principatu unius mixto eundem in Asia, Aphrica, Peruana America exercent. Dominatus est Principatus absolutus, in quo rei

Summa eius populi qui dominatui paret, fere
3. à dominantium arbitrio dependet. Eiusmodi hodie in Europa sunt Principatus Turcarum, & Moscovitarum in Asia Persarum, Tartarorū & Regum Hispanorum, in partibus orbis terrarum iam memoratis. Et hunc Latini authores interdum in forma status Regii in specie Regnum dicunt. Vt cum de Caligula scribitur, parum absfuisse quin Principatum converteret in Regnum. Sic & Exactos Reges cum dicunt dominatores intelligunt. Licet enim Romulus pene Principatum sub nomine status Regii instituerit, eo quod præmagnam authoritatem Senatui, imo & Populo reliquerit *vi. Liv. & Dion. Halicar.* Tarquinius tamen Superbus immutarat eundem in liberrimum Dominatum, imo & tyrannidem meram. *Histor. Rom. passim.* Illud in statu Dominantis observandum, eum qui-
4. dem * plerumq; consilium aliquod præcipuorum magistratuum habere cui graviora quæq; communicet, non tamen teneri eum iisdem, adeoque & aliter eum, quam isti consulant, agere pro arbitrio posse. Deniq; & in bona subditorum sibi non imperium modo sed & prope Dominium usurpant maxime si bello devicti sint. Certe exactionum ac tributorum modum excedere pro libitu possunt, eo quod nul-
5. lus ordo ei dicere legem queat. Plane si in * hac quoque re modum excedant, vel sevitia nimia agant, non minus ipsi quam Principes potestate abutentes tyranni censentur. Id vero ut

statu-

ſtatuimus tribus potiſſimum argumentis efficitur. Primo quidem, quia omnis Principatus adeoque ſtatus politiæ totius, civium omnium & ſingulorum ſit cauſa, uti ſupra demonſtravimus late. *lib.1.c.3.4.5.* Secundo, quia bona ſingulorum invadendo Dominatus fines excedat, quippe qui non dominium ei in bona ſingulorum conferat, ſed in rempublicam & civitatis ſtatum. Tertio, ſi aliter ſtatuatur, dicendum fuerit, Dominatori licitum eſſe tyrannum agere. Id vero abſurdum foret, nec minus igitur unde id ſequeretur. Denique & dominia ſingulorum invertere ita poterit, ſi id reipublicæ expediat, Alias enim ſententia Senecæ perpetua eſt: Rex Omnia Imperio Possidet, Singuli Dominio. Sed quod paulo ante monuimus * Romanos in civitatem quidem 6. Principatum exercuiſſe, in provincias Dominatum, pleriſque uti novum ita paradoxon videbitur. Id tamen ut perſuadeam, Iuriſconſultos appello, quibus compertum eſt Provinciales ne quidem fixum certumque rerum ſuarum dominium, ſed ſolam poſſeſſionem habuiſſe. Adeo vero ut ne quidem poſſeſſio temporis etiam longiſſima rerum provincialium tribuat uſucapionem. Vnde loco eiuſdem recepta eaundem præſcriptio fuit, quæ quidem exceptionem pariebat ad excludendam actionem, directam vero actionem non concedebat ſed utilem tantum *l. un. C. de uſucap. transformat.* *Cuiac. lib. in Parat.* Vnde & agros provinciales

militibus, itemque colonis distribuebant, adeoque de iis non minus libere quam quæ in fiscum redacta erant disposuere semper. Prorsus ut Hispaniarum Rex hodie in Peruanis regionibus fundos omnes dominio possidet, & subditis singulis ad similitudinem bonorum emphyteuticorum elocat. Idque fere tantum pro tempore vitæ subditorum. Quod certissimum omnium veræ dominationis argumentum est.

CAPVT IV.

SUMMARIA.

1. *Status altera divisione triplex Monarchia, Aristocratia, Democratia.*
2. *Monarchia quid.*
3. *Definitio eius explicata.*
4. *Quid sit Senatus.*

SEcundo pro diversitate eorum qui Maiesta-
1 tem obtinent, status omnis * vel Monarchiam refert seu Principatum Unius, vel Aristocratiam seu Optimatum, vel Democratiam seu Popularem. Ad primum quod attinet, is fere Regnum dicitur, vel Principatus in specie. Regnum hic nobis est dominatus unius;
2. Principatus autem, cui unus cum * Ordine Senatorio iure suo præest Reipublicæ Summæ
3. solus & perpetuo. Una cum Ordine * Senatorio, inquam, quia hac ratione distinguitur Principatus à Dominatu seu Regno in specie acce-

accepto. Quia id Senatum non admittit. Solus dicimus, cum Monarchia nõ constet nisi Principatu unius. Addimus perpetuo, eo quod & Magistratibus nonnullis Summa Reipublicæ ad tempus committi solet, uti Consulibus, & Dictatoribus Romanis. Qua ipsa ratione & addidimus iure proprio, cum magistratus eum, quem habẽt Primatum fere à Populo aut Principe Obtineant tanquam officiales. Ut vero illud quod de ordine Senatorio adiunximus, intelligi possit, superest ut quid sit Senatus explicemus. Senatus itaque nobis * est Collegium Civium, qui de Republica Summamque eius concernentibus consulendi, statuendique vel seorsim, vel una cum Principe iure suo authoritas est. Seorsim vel una cum Principe dicimus, utro scil modo idem à populo aut Principe est institutum ab initio. Unde quidem Princeps Romanus se ipse partem Senatus profitetur, *l. 8. C. de dignit.* ut & vice versa Senatus Principis censetur pars, *l. quisquis in princ. C. ad L. Iul. Maiest.* Non igitur Consilia principum secreta, quæ aulica vulgo, huc referenda sunt. Quippe quæ iure proprio fere nihil habent, & nihil adeo in Republica universa, præter id quod ei à principe mandatur. Proinde inter Consilia eiusmodi, & Senatum pene tantum interest, quantum inter Magistratum & iudicem datum. Quod scil. ut iudex datus Iure Romano ex præscripto Magistratus cognoscebat, sic consilia hæc fere ex principum præscripto. 4.

Licet similitudo ea non undequaque sit perfecta. Igitur nec Cameram Imperii Germanici, nec ulla adeo collegia Magistratuum, Iudicũ, Syndicorum, quibus tantum exercendæ & exsequendæ iurisdictionis potestas est, propria loquendi ratione Senatum dicemus, sed collegia demum Ordinum in provinciis & civitatibus singulis, eorumve, qui in hunc finem lecti sunt, ut consiliũ capiant de iis quæ ad Rempublicam pertinent, idque sive in Republica, sive in principatu unius. Eiusmodi est conventus Principum Imperii, item corpora Ordinum in singulis Belgicæ provinciis. Quorum vicarii sunt eorundem Legati. Sic & Senatus Daniæ & Poloniæ absentibus Ordinibus loco eorundem est.

CAPVT V.

SUMMARIA.

1. Aristocratia quid.
2. Democratia quid.
3. Num in utroq; hoc statu Senatus referat Principatum.
4. Consilia quæ Senatui soleant adiungi.
5. Eadem senatus pars &
6. Status Belgicæ Unitæ.
7. Status Venetus.
8. In angusta Republica an præstet unum corpus Senatus haberi solu. & 9.
10. Præsides Senatus.
11. Multitudinis in Democratia quomodo Principatus sit. & 12. & 13.

1. ARISTOCRATIA seu status * Optimatum dicitur, cuius summam obtinent Principes plu-

plures, pauciores tamen è populo. Qualis est hodie *status Venetus Provinciarum Belgicarum, Norimburgensis, Augustanus*. DEMOCRATIA vero est, in qua rei summa est penes *populi partem majorem. Qualis olim fuit *Senatus Romanus, Athenensis, Carthaginensis*, hodie *aliquot civitatum Helvetiæ*. Num vero Senatus in utroque hoc statu Principem * referat, videamus. Verũ tamen est, eum quidẽ imaginem Principatus referre, non tamen principatum ipsum. Manet n. Senatus, & summa rei universa, vel penes populũ est, ut in democratia, vel penes pauciores, ut in aristocratia. In Aristocratia igitur Senatus ipse Principatum refert. Sed in Democratia indistincte contingit, ut principatum habeat populus universus, Senatus vero una cum populo reliquo tantum iuris habeat quantum cum Principe in Monarchia. Fere tamen & populo non collecto Senatus etiam in Democratia Reipublicæ administrationem habet; Vt *Romæ* olim, hodie passim *in civitatibus popularibus*. Præterquã quod in consiliis de gravioribus Reipublicæ negotiis tractandis eidem fere collegia alia adiuncta esse solent. Quod ipsum tamen sæpe etiã in statu Optimatum contingit. Quorum prudentiã nimirum Senatores exigente occasione consulũt, uti Princeps alias cõsulere solet Senatum. Sic n. Athenis 60. VV. sic Carthagine xxx Viri cuius utriusq; status popularis erat, adiuncta Senatui 400. virorũ fuere qui puta de gravioribus negotiis status una consuli solent. Et hæc iure. Iam

consilia Sancta, interdum *Secreta*, item & *Arcana*, ob fidem ei debitam, dicuntur. Licet vero consilia hæc fere seorsim deliberent, ne res rationesque in iis expensæ facile vulgentur, haud
4. absurde tamen Senatus ipsius * consentium pars.
5. Cum & plerumque * vel munere ordinario, vel pro re nata, ex Senatu ipso legantur, uti in plerisque provinciis Belgicæ Unitæ pro more est, ut collegia minora ex Optimatibus seu Ordinibus Optimatum ipsis legantur, qui ordinarii Senatus, Ordinibus ipsis absentibus, sustineant munera illa parta, quæ dicimus *Collegia Deputatorum*. Quin imo & haud absurdum est, Senatum universum etiam graviora quæque communiter tractare. Uti Romæ durante Republica plerumque factum. Et quidem in rebus arduis ibidem nihilominus tanto silentio agi solet, ut Livius miratus sit, Græciæ & Asiæ Legatos qui Romam venerant, nihil ex iis quæ Eumenes Rex in Senatu contra Perseum egerat ex tanto Senatorum numero intelligere potuisse. Licet profecto virtus hæc, ut laudabilia complura defecerint etiam, & minuta paullatim sint in ordine antea semper augustissimo. Sed & idem accidit hodie in Belgica Fœderata. Quippe ubi in collegio Legatorum Ordinum Generalium tractantur graviora pleraque. Licet ob rerum tractandarum multitudinem & molem, adiunctum etiam sibi collegium Senatus alterius habeant compositum ex singulis legatis Provinciarum singularum, & rursus col-

legis diversa Senatus ceterum tantæ. Quo se licet eaque quæ ad bellum navale, classesque adornandas & conservandas, item ad vectigalia commerciorum externorum peraguntur. Sed id quoque ex Ordinum Legatorum Universalium mandato. Sic Venetiis quatuor consilia sunt præter Senatum & cœtum omnium; *Optimatum*, puta, *Consilium Sapientum*, quod *Marinum*, quo quæ mari geruntur, tractantur, *Consilium Sapientum* quo ea peraguntur, quæ terra geruntur, item *Consilium Decemvirorum & Septemvirorum*. Quæ quidem omnia collegiis & consiliis seiuncta sunt, congregantur tamen sæpe communi in loco deliberationis causa. Vti & ibidem est Senatus sexaginta virorum, *Bodin. l. 3. de Rep. c. 1.* Sed collegia ea omnia, cum ex 6.
Senatu, seu ordine Optimatum universi sint, recte censentur pars Senatus totius. Sic & Principes Romani plerique ex prudentioribus Senatus nonnullos sibi magis familiares habuere, uti Augustus, Tiberius, Titus, Traianus, Adrianus, Aurelius, Alexander Severus. De quo Lampridius, *Nullum* inquit, *decretum fecit sine iurisconsultis. 20. atque plerisque Senatoribus rerum gerendarum usuperitis; qui quidem quinquaginta senatorum numerum explerent, ne pauciores essent, quam in Senatus consulto conficiendo necessarii viderentur.* Sed in angusta republica fortassis *ob virorum præ- 8.
stantium inopiam, etiam eiusdem Senatus consilium sanctius non adiungi. Vti in Republica Pharsaliorum viginti viros pro Senatu & pro consilio

filio sanctiore fuisse perhibent. Præstiterit tamen & in civitate non magna vel cõsilium maius vel minus adhiberi pro re nata, uti Campis in inferiori Germania, libera * imperii civitate
9 præter Consilium Reipublicæ gerendæ & litibus finiendis constitutum, Senatus 36. virorum est, cui ipsi & creandi Senatores in cõsilium seu Senatum 14. in locum defunctorũ potestas est. Licet ex Senatoribus singulis etiam, prout eis videtur e republica fore, unum vel plures singulis annis removere ordine possint. Qui tamen, nisi ob infamiam remotus sit, denuo in ordinẽ Senatus amplioris redigitur. Idem Daventriæ & Zuollæ eiusdem Germaniæ Inferioris Populis Imperii liberis obtinet. Sed in hisce civitatibus singulis 48. viri Senatum Ampliorem referunt, minorem 16. viri. Sed Zuollæ istud peculiare est, quod moti Senatu minore, qui scil. ex sedecim viris constat Reipublicæ administrandæ, rarius in Senatum 48. denuo legantur. Leguntur tamen plerumque denuo in senatum, è quo remoti sunt sequentibus annis. Denique hi 48. consuluntur à Senatu altero in Rebus, quæ ad summam reipublicæ pertinent. Vt in legibus municipalibus, seu statutis condendis, vectigalibus augendis, minuendis, statuendis, amovendis, in moneta cudenda, fœderibus ineundis, armis movendis, principibus regionis, aut loci servatoribus vel eius, vel ordinum eligendis. Est enim civitatibus his tribus imperium una cum Ordine Nobilium Pro-

Provinciæ Transisulanæ in universum agrum (qui est Vltraiectina provincia superior) communis. Ipsæ interim singulæ civitates summam Reipublicæ ex privilegiis Principum, uti vel liberrimæ civitates imperiales aliæ in Oppidis singulis tuentur solæ; adeo, ut ne quidem ad Cameram Imperii à cognitionibus eorum appelletur. Vt quidem ibi in civitatibus haud magis non absurda rerumpublicarum summa deprehendatur. Ex quibus efficitur Senatum in Aristocratia, utcunque collegiis pluribus distributum, quorum etiam singulis tractandæ res ad statum reipublicæ pertinentes diversæ sint, Principatum obtinere; senatum vero κατ᾽ ἐξοχὴν dici ordinem Optimatum Amplissimum, à quo ceteri dependeant veluti partes; in Democratia vero Senatum partem quidem Principatus referre, uti idem partem refert in Monarchia, reipublicæ vero apud eundem plerumque administrationem esse. Id tamen ita *accipiendum, 9.
ut præsint ei plerumque vel Principes, seu Præsides Senatus, vel Magistratus Maiores; uti Romæ olim Consules, vel Principes Senatus, Carthagine Prætores. Quod tamen & necessarium esse putandum est in Republica Optimatum, ut Venetiis Dux Senatui præest, in civitatibus Germaniæ plerisque fere Consules, seu Borgimagistri. Sed quod multitudini dicimus, * in Democratia prin- 10.
cipatum esse, cum modo accipiendum est, nesci-

ne sc. promiscue omnibus ad comitia & suffragia pateat accessus; verum iis demum qui vel honestate vitæ vel patrimonio, vel utroq; pariter in eam rem idonei videantur, *vt. Bodin. lib. 3 de Rep. c. 8.*
11 Proinde Romæ * opificia viliora tractantes ne quidem censebantur. Idque fere in omni republica populari observatum, ut scil. evitaretur Ochlocratia, i. e. gubernatio popularis tu bulenta. Nec obstat his quod diximus, in Democratia ius imperii supremum apud multitudinem esse, multitudinem vero maximam etiam ex fece vulgi constare: namq; id verum etiam in minutis, & multitudine adeo universa est; cum si non actu saltem potentia ius suffragiorum habeant, puta quotiescunque vel opibus, vel honestate vitæ aucti, à Magistratu in eam rem idonei censentur. Vti & vice versa ius suffragiorum habentes eodem privari queunt,
12 si degant minus honeste. Qua ratione * Romæ in tabulas Cerites redigebantur, qui indigni censebantur eo iure. Ex quibus evenit tandem, minus perfectam definitionem civium esse, ab Aristotele & aliis constitutam; qua puta ius civitatis definiunt facultatem fruendi suffragiis & magistratu. Certe ineptam illam esse vel istud arguit, quod ea posita in Dominatu nullus futurus civis sit, cum nulla in eo requirantur populi suffragia. Idemq; eveniat in statu Optimatum, item Regio, quoties puta in neutro eorum ullæ plebis partes sunt.

CAPUT VI.

SUMMARIUM.

An aliqua Respublica sit mixta.

QUibus positis, occasio exigit ut illud inquiramus, Sitne aliquis Reipublicæ status mixtus. Et id quidem omnino inutiliter ulterius tractare videamur, quia iam ante tradidimus Principatum omnem ex diversis status generibus esse compositum. Inquirendum tamen hic latius est, eo quod Bodinus bonus author id in dubium vocarit, adeoque omnino negarit. Quod si tamen statum Romanum, adeoque hodie principatus omnes consideremus, diversum statuendum est. Nam si, ut ante docuimus, Senatus ipsius Principatus pars est, Senatus vero ipse ex Optimatibus constat, consequens est Principatum tam ab Optimatibus, quam Principe ipso teneri, & consequenter in principatu unius (qui modo à dominatu diversus sit) statum semper mixtum esse. Et hanc formam hodie in plerisque regnis Europæ servari videmus. Cum nulli reges aut principes, quorum potestas in capitibus Maiestatis, Ordinibus, aut Senatui communis est, dici queant statum purum tueri. Namque inde fit quod in exactionibus exigendis, de iure monetæ, Legibus aut statutis condendis, eiusque generis

cæteris à Principe ipso plerumque Senatus authoritas requiratur. Sic in statu omni populari Senatus fere cum plebe participat Reipub. summam. Atheniensium enim status popularis erat, Carthaginensium item, & diversorum, quibus tamen suus semper Senatus fuit. Romæ vero exactis regibus, tametsi status maxima ex parte fuerit popularis; principio tamen Senatus fere summam Reipub. possedit. Leges condere, de bello, pace decernere, & simil. propria ratione populi totius fuit, Senatus interim sæpe pro re nata de omnibus hisce decrevit. Vnde & Senatusconsulta non minus populum universum, quam ipsæ Leges tenuere. Nam quod Bodinus disputat Senatusconsulta, uti Prætorum edicta, tantum annua fuisse, id nusquam relatum est, cum & diversi loci iuris civilis contrarium innuant. At quod ille Dionys. Halicarnass. in diversam sententiam citat, ipse viderit quomodo hoc ex eo satis probetur. Cum is facile aliter accipi possit, adeoque nihil minus per eum probetur, quam senatusconsultorum una non pro iure perpetuo fuisse. Certe istis ipsis Temporibus status Romanorum popularis fuit vel ipso Bodino fatente. Quod igitur Senatus reipub. prope administrationem habuit, adeoque de plerisque capitibus Maiestatis pro re nata statuit, nisi Consul vel Prætor restitisset, certo arguit maiestatem utrique communem fuisse. Idque multo clarius postea emicuit, cum plebs ipsa etiam tan-

tandem obtinuerit, ut suós tribunos haberent, idque haud alium in finem, quam ut authoritati senatus, & senatorii Magistratus resisterent. Quin amplius plebs ipsa exinde suos leges tulit. Quæ tametsi plebiscitorum nomine fuerint dictæ, haud tamen minus senatum, quã plebem tenuere, adeoque tribuni ne quidem referre de iis ad senatum potuere, Gell. lib. 15, cap. 27. Prorsus ut ante quoq; & post Senatus consulta tenuere populum universum.

Et vero quia plebiscita sine Senatus requisitu facta sunt, itaq; à plebe sola, quis non iudicet ea tempestate statum Romanum prope ex Ochlocratia participasse. Quibus tandem consequens est, non tantum statum aliquem mixtum esse, sed esse omnino omnem, solo Dominatu excepto. Quippe in quo uno Maiestas tantum apud Dominantem est. Idq; recte plerique Historici & Politici tradidere. Illud tamen verum est, statum etiam mixtum à potiore Principum potestate speciem è tribus unam sortiri. Idque vel Bodino teste *l. ibi. 2. de rebus, cap. 1.* Principatus Monarchiam constituit, etiamsi Principis Maiestas Senatui utcunque sit alligata, modo ille potestate & imperio supra Senatum sit, ut Romæ olim & in plerisque Regnis hodie. Diversitas tamen magna hac in re pro locorum varietate est. In Gallia enim Anglia, Hispania, maxima Regum potestas est; Imperatorum Italiæ & Germaniæ paulo minor, ut & Regum Poloniæ, Sue-

ciæ, Daniæ, Principum Eccleſiaſticorum in Germania, itemque Principum Belgicæ. Ut hæc res p orſus pro natura & conſuetudine populorum diverſa temperanda ſit.

CAPVT VII.

SUMMARIA.

1. *Quomodo accipiendum quod dicitur, Principem legibus ſolutum eſſe.*
2. *Quomodo accipiendum quod Imperator Mundi Dominus dicitur.*
3. *Quid Principem obliget Legibus.*
4. *Quatenus Princeps obligatus Senatui ſit, & quatenus Senatus ipſi, deque iure mutuo inter eos.*

AD intelligendum tamen ius Maieſtatis, adeoque ſtatum Reipublicæ univerſum, illud paulo altius inquirendum videtur, Quodnam ſit Ius, quod Officium Principis & Senatus, quæque mutua inter eos coniunctio ſit & ne-
1. ceſſitudo. Primum igitur * ſupremumque principatus ius eſt, Legibus eſſe ſolutum. *tex. & DD. in l. princeps. D. de LL.* Sed hoc eo pertinet ut intelligatur eum conſtitutum eſſe ſupra leges, id vero eſt, ut conſtet eum legibus ſubiectum non eſſe, nec alligatum adeo uſque eo, quin decretis ſuis, ſententiis, privilegiis, reſcriptis derogare iis pro re nata & ratione exigente poſſit. Amplius etiam per ſe ferre legem novam queat, & ius receptum corrigere ac moderari.

l. 1. D.

l. 1. D. de Const. Princ. l. 1. C. de LL. Haud tamen ita existimandum, quia Princeps Legibus solutus est, idcirco eum non vivere ex earum præscripto: quia non pugnant inter se, Legibus solutum esse & legibus vivere, sed ea demum, Legibus solutum esse, & subiectum. Prorsus ut è diverso Magistratus, quia legi derogare non potest, sed decreta omnia sua ex eiusdem præscripto finire, eidem censetur subiectus. *l. 1. §. 4. Ad SC. Turpil.* Parum apposite proinde Cujacius, id quod dicimus Principem Legibus solutum esse, ad Leges tantum caducarias retulit. Est quidem *d. l. Princeps ad L. Iul & Papiam* de caducis conscripta, sed ut restringatur ad eas, locus communis tituli de Legibus non sinit. Nec est quod in Triboniano reprehendatur quasi ea non sit posita suo loco, cum idem alibi quoque in iure nostro totidem pene verbis de Lege Regia sit relatum, *l. 3. C. de Testam. l. 1. de Const. Princ.* Multo tamen absurdius ii, qui eum tantum ll. naturæ, civilibus astrictum non putant, *DD. in l. digna vox. C. de LL.* Nam si id verum sit, etiam Populum Romanum ante Maiestatem in Principem translatam, legibus suis non fuisse alligatum dicamus, quod tamen absurdum pariter & falsum fuerit. Nam & P.R. ipse in LL. suas iuravit. *Plutar. in Mario. Appian. lib. 1. Dio Nicæus lib. 37.* Sed & post Maiestatem in principem translatam dicemus, res Dominicas seu Principis patrimoniales, legibus non fuisse subiectas. Hoc tamen non ita esse vel il-
 lud

lud argumento certissimo est, quod ea etiam privilegiis in nonnullis tantum à iure communi sint exempta, *l. ult. & tot. tit. C. de Priv. Dom. Aug.*
2 Quod igitur Imperator * Mundi Dominus dicitur, *l. ἀξίωσις. D. Ad L. Rhod. De Iac.* ad dignitatem tantum & imperium pertinet, non etiam
3 ad dominium. Quando tamen est * aliquid obligatus legibus Maiestatem præter rationem naturæ, id Principatus ipse fit oportet. Hic enim necessitudinem inter ipsum & civitatem producit, qua ille Dignitatis & Imperii premio & honore fretus, vicissim tenetur, ab iniuriis singulos, & publice omnes tueri, *l. digna vox. C. de LL.* Eiusque rei certissimum argumentum est, quod illa etiam quæ Princeps ut Legibus solutus facit, qualia sunt quæ per rescriptum fiunt, in iudiciis haud aliter æstimentur quam si conveniant iuri, *l. ult. C. Si contra ius vel vtil. publ.* Sed
4 & quia capitib. superioribus * monuimus, Maiestatem Senatui communicatã esse, illud quoque paulo altius discutiendum quatenus id sit accipiendum. Quando vero Princeps & sine Senatu derogare legi potest, *l. 1. D. de Const. Princ. l. ult. C. de LL.* principio quidem illud constat, eum, etiam non adiuncto senatu, Legibus solutam esse. In gravioribus tamen & consulere Senatum tenetur. Nam, nisi id dicamus, contra quam & supra traditum est, & politiæ ratio bene omnium populorum docet, negabimus [illegible] Principatus partem. Nec [illegible] nuit hoc Maiestatem Principis (quod male Bodinus dispu-

disputat) sed auget potius, *l humanum. in fi. verb. ad nostram gloriam. C. de LL.* & tutiorem reddit. Liberat enim eum id invidia, eo quod populi voces sint, Principem quidem bonum esse, sed seduci ac regi à Senatu. Recte proinde Theopompus uxori obiurganti se, quod regnũ liberis non ea Maiestate quã posset relicturus videretur: hactenus inquit maius quod diuturnius. *vt. Plut. in vita Lycurgi*, Cum & Principi plerumque exitio sit si Senatus authoritatem negligat aut contemnat, Id enim Cæsari exitium attulit, *Plut. in Cæs.* id Tarquinio. *Liv. lib.* 1. id Hieronymo Siculo. *Liv. lib.* 24. Vti & vice versa Maiestatem confirmat, si eundem, uti par est, consulat, ut in Augusto, Vespasiano, Tito, Hadriano, Traiano & aliis est. Quibus consequenter dicendum, ut in Principatu Romano populi ipsius Maiestas fuit, Senatui authoritate sua salua, ita illa ipsa in Principem Lege Regia translata, hanc quoque Senatui fuisse illibatam, *l. 1. C de SC.* Tametsi Principes non pauci re ipsa quoque usurpatint Dominatum. Nam quod Tranquillus de Caligula scribit, Parum abfuisse, quin Principatum converteret in regnum: regnum pro nomine nudo una & sceptro ac diademate regio dixit. Cum ille non modo regnum (id est ipsi dominatus) usurparit, sed & tyrannidem crudelissimam longe.

Maior tamen Senatus authoritas multo in republica fuit Cum & Senatus interdum quempiam Magistratuum Legibus solueret, ut acci-

dit Augusto, copiis Antonii ad Actium fugatis. Id vero fieri non potuit nisi 220. adfuissent Senatores, ut quidem L. *Cornelia Tribunitia* cautum fuit. *Author Pedian. in Cornel.* Sed hoc eo, quod Senatus in republica fere referat Principatum, in Aristocratico quidem directo, in populari vero ita, ut consulendi populum ei necessitas sit si occasio id ferat. Modo Senatus deliberatio praecedat. Est enim is in Democratia ut sua prudentia temperet plebis fervorem, *Plato. 6. de Legib.*

CAPVT VIII.

SUMMARIA.

1. *Quomodo accipiendum sit quod dictum cap. superiore, Potestate P. R. in Principem translata, Senatui nihilominus suã constitisse authoritatem.*
2. *Senatorii Ordines ut interdum collegia iudicum fiant.*
3. *Consilia quae Latinius quam Senatum dicamus.*
4. *De Ordine ac modo deliberandi in Senatu & num. 5.*
6. *De Officio Senatorum & num. 7. 8. ac 9.*

UT vero hoc capite de officio ac iure Senatus, & Principis adeo erga eundem latius agamus. Principio illud paulo latius explicandum videtur, quemadmodum accipiendum sit, quod diximus, Potestate P.R. in Principem translata nihilominus Senatui suam constitisse autho-

authoritatem. Proinde ita statuimus, * tam- 1
etsi Princeps & legibus solutus sit, & deroga-
re adeo iis seorsim ac sine Senatu possit, non ta-
men ea ratione suam ademptam Senatui au-
thoritatem etiam in iure condendo esse. Nam-
que ut is jam olim etiam ius facere potuit, *l. non
ambigitur. De LL.* ita ademptum ei hoc Lege Re-
gia putandum non est, *l. ult. in fi. C. eod. verb. ni-
hil hac l. derogante veteris iuris conditoribus.* Cum &
nonnullorum Principum Constitutionib. cau-
tum fuerit diserte, Nullas Leges Generales
subsistere, nisi confirmatas à Senatu, *l. huma-
num. C. eod.* Hoc tamen posterioribus princi-
pibus videtur immutatum, ita puta ut & Prin-
ceps condere legem per se potuerit, *arg. l. ult. C.
de LL.* & Senatus etiam per se, *l. 1. C. de SC. verb.
per se obtineat. d. l. ult. in fi.*. Plane tametsi ex iis quæ
iam disseruimus constet, Senatum differre à cu-
ria iudicum, sciendum tamen est, nihil absur-
di in eo fore, si idem collegium & Curiæ mu-
nus subeat & Senatus. Namque id fere in prin-
cipiis pleratumque civitatum obtinuit, ut ex
instituto Romuli Romæ, & in Gallia etiam o-
lim eundem in finem Senatus Parisiensis con-
stitutus fuit. *Bod. 3. de Rep. c. 1.* Sed evenit tan-
dem plerisque in provinciis ut collegia * Sena- 2
torum ex Amplissimis Ordinibus lecti ad Rem-
publicam una cum Principe administrandam,
litium multitudine onusta, minus oneri ferun-
do fuerint ad sustinendum consilia reipublicæ
ipsius. Et usi hac arte quandoque versuti Prin-

cipes fuere, ut Senatum legibus occuparet, quo ipsi tutius fruerentur dominatu. Vti de Tiberio & Nerone proditum est, *Tranquil. in Nerone. Tacit. lib. 1. Annal.* Consilia tamen illa quæ tantum
3. iudiciorum causa comparata sunt, Latinius * dicimus, uti & collegia Consiliariorum non ex Ordinibus lecta, sed ex iis qui premiis aut salariis invitati operam prudẽtiæ & consilii Principibus aut Rebus publicis exhibent. Consilii quidem vox universalis est, & Senatui communis, sed Senatus vox plerumque, & quidem magis proprie ad collegia ea refertur, quæ participant ipsum Principatum. Ad Ordinem ac mo-
4. dum deliberandi quod attinet, Principi * in primis consultum est, ut quoties graviora tractanda sunt, ea prius rite secum, dein cum paucissimis, quos in hanc rem consultum est ex Senatu familiares habere, perpẽdat; ne sc. res pluribus consiliis protracta vulgetur. Ita enim fiet, ut facili momento, summoq; Reipublicæ bono consilia prius effectui det quam de iis pareat cogitatũ. Qua in re Antigoni Asiæ, *Plut. in Demetr.* Ludovici Vndecimi Galliæ, *Comin.* Caroli V. Imperatoris laudata prudentia fuit, & Iulii Cæ-
5. saris etiam olim, *Tranquil in Cæs.* Refert etiam * in sententiis rogandis ordinem servari, ut scil. initium fiat ab iis qui necdum gesserunt Magistratus. Ne puta suffragiis horum, qui fere maioris sunt authoritatis, preiudicium aliquod ingeneretur animis cæterorum. Idq; tandem & Romæ receptum est, cum antea initium fieri
sole-

solete à Consulari dignitate, & eo qui lectus erat Princeps Senatus, *Gell.lib.*14.*c.*7. Vti & hodie in Senatu Veneto receptum ut Dux ultimus suffragium ferat. Senatores ipsos quoq; vicissim bono * publico studere oportet, sententiasque omnes, ratione sui & adulatione posthabita, conferre ad publicam utilitatem. Officit enim ratio privata consiliis publicis plurimum. *Liv. lib.*22. Sed quemadmodum adulationem non convenire Senatori, monuimus, ita cavendum quoque, ne mobilibus Principū * animis facile occasio iræ detur. 7. Vnde & consilia etiam optima moderate suaderi quam impetu immodesto proferri præstat. *Plut.in lib.de disc.adul.& amic.* Perinde & illud in * primis requiritur, ut 8. ea quæ in Senatu aguntur, quam maxime semper secreta sint. Recte enim Valerius: Optimū ait, & tutissimum vinculum rerum admistrandarum est silentium. *Val.lib.*2. Hæc vero omnia cum * junioris ætatis non sint, recte receptum est, ut in Senatum ac Consilia plerumq; legantur Senes, vel utiq; minus juvenes. Vnde & ab hac re & ipsum Senatorum nomen putatur deductum. Tamersi interdum evenire possit, ut natura, studiis disciplinarum, & rerum usu ita iuvenis instructus sit, ut plerosque senes longo ordine antecedat. Sed si qui tales quandoque sint, haud immerito etiam debito afficiendi honore sunt, & senibus idcirco pares habendi.

CAPVT IX.

SUMMARIA.

1. *Maiestati & Senatui proximi magistratus sūt.*
2. *Magistratus quid.*
3. *Definitiones magistratuū ab aliis posita reiecta.*
4. *Officium magistratuum & iudicū aliud in quaestionibus facti, aliud in quaestionibus iuris.*
5. *Quale in quaestionibus iuris.*
6. *Quale in quaestionibus facti.*
7. *An iudex secundum conscientiam an vero secundum acta & probata iudicare cogatur.*

1. PRincipi & Senatui *proximi dignitate & potestate sunt Magistratus, Et quidem ut primo in populo mox in Principe Maiestas Romæ, sic in Senatu authoritas, in Plebe Potestas, in Magistratibus Imperium fuit. *Cic. & Latini*
2. *Authores passim.* Magistratus nobis * est, qui iurisdictioni & imperio, hoc est, potestati exsequendi id quod decretum aut iudicatum est, præest officii ratione. Iurisdictionis enim vocem definiendæ huic rei minus sufficere putamus. Nam & hæc interdum pro notione, seu cognitione facti usurpatur sola, *l. aut prætor. 5. De sent. & re iud.* certe intellectu ab imperio separata est in omnem eventum. Et quidem recte
3. Bodinus notat * Cuiacium, Goveanum, Ferretum, Sigonium, quod ii minus recte magistratum finierint, non tamen melius ipse finiendo eum

eum imperio ſolo. Quin & multo rectius Cuiacius eum finit iuriſdictione quam Bodinus imperio, quippe quæ raro aut nunquam ſine imperio eſt, *l. ult. in fi. De off. ei. cui mand. iur. l. 1. Si quis ius dic. non obtemp.* Quoties vero ea ſine imperio conſideratur, uti accidit in cognitione mera, proprie non iuriſdictio ſed notio nũcupatur, *d. l. 5. De ſent. & re iud. l. notionem 99. D. de V. Sign.* Denique in omnem eventum, cum iuriſdictionis vox ambigua ſit, rectius & iuriſdictionem & imperium ſimul in explicationem huiùs rei requiri putamus. Quoties igitur iudicem, qui ſolam notionē habet, item quoties Epiſcopum aut Prælatum Eccleſiaſticum, qui imperio caret, magiſtratum dicimus, ratione loquendi utimur impropria.

Officium vero Magiſtratuum eſt in exercitio iuriſdictionis & imperii omnia facere ex præſcripto iuris & legum, *§. 1. Inſt. de Off. Iud.* Nam ſi decernat aut iudicet adverſus leges, ipſo iure nihil agit, *l. cum prolatis. De ſent. & re iud.* Conſuetudines tamen receptæ quoque una pro legibus ſunt, iudicemque non minus quam lex ſcripta obligant, *d. §. 1. Inſt de Off. Iud.* Sed cum cognitio omnis * vel facti vel iuris ſit, id vel in 4.
primis in cognoſcendi poteſtate & officio obſervandum, ut cognoſcere de iure certo * non 5.
poſſit, de controverſo poſſit. Eſt enim iudex quaſi in poteſtate legis, uti lex in principis quaſi poteſtate. Ut recte reſponſum ſit, iuris quæſtionem in arbitrio iuris non eſſe, facti quæſtionem

nem esse, *l.1. §.4. ad. SC. Turpil.* Sed & in iure cōtroverso explicando ita agendum, ne principia interpretandi offendantur. Quæ scilicet id postulant ut sequantur, quod æquius & benignius est, *l. benignius De LL.* suppleat etiam quod partibus forte omissum fuerit, *l. un. C. Vt quæ des. part. adu. suppl. iud.* Sed in facti quæstionibus, quia eæ
6. à substantia * probationum dependent, potestatem Magistratuum & iudicū paulo ampliorem statuimus, siquidem hæ fere in arbitrio eorū sunt, *d. l. 1. §. 4. ad SC. Turpil.* unde & DD. probationes factorum arbitrarias statuunt, *l. 3. §. 3. de prob.* Non quidem quod reiicere illas pro arbitrio possit, quia si id agat litem suam facit & damnum parti inde veniens cogitur resarcire, *l. ult. D. de extraor. cog.* Itaque arbitrium hoc non pro affectuum invitatione dirigendum est, sed in dubia probationum fide quoque iuramenti delatione confirmandum, affectusque omnis omnino postponendus. Alias vero etiam quod minimum eligendum, *l. semper in obscuris. De Reg. Iur.* Quid ergo si aliter sibi constare putet quam
7. probatum * est? nos ita finimus, ut in dubio quidem tuto conscientiam sequatur, adversus probationes vero manifestas, notitia eius seu conscientia nihil possit. Est enim iudex rei probatæ astrictus ita ut probationes reiicere non possit, quin ob hoc ipse conveniri iudicio possit, *arg. l. argentarius. 10. §. cum autem. De Eden DD. in l. illicitas. §. veritas. De Off. Præs.* vi. nostra *ibid.* Consultum tamen eo casu est, ut iudex cui id con-

contingit, personam iudicis exuat, testis denuo vel accusatoris suscipiat, *vi. Cuiac. lib. 12 Obs. c. 29. Hotom. in Ill. Quæst. 27. vide tamen Dn. Liklama lib. 2. Membr. x, 2, per tot.*

CAPVT X.

Summaria.

1. *Quales deceat esse magistratus.*
2. *An iuris ac legum imperiti ad iudiciorum administrationem admittendi.*
3. *An subterfugientes ad Magistratum sint cogendi.*
4. *Prastetne Magistratus temperaneos, an perpetuos esse.*

QUando vero magistratum * nullo ducendum affectu diximus, consequens illud in primis est, ut magistratus tam erga subditos quã Principem ipsum magnanimus sit ac prudens. Id vero est, ut alienum se præbeat ab omni ambitione, corruptione, gratia, misericordia, odio aut severitate, *l. perspiciẽdum. & l. aut facta De Pœn.* 1.
Magnanimitatem proinde non talem requirimus quæ adversus Principem in contumaciam cedat aut adversus subiectos in crudelitatem, sed quæ ipsa quoque vel in primis communi virtutum tramite ducatur rationis ac modi. Nam cum leges ipsæ & ius adeo omne nihil aliud sit, quam neruus benignitatis, *l. benignius. l. nulla De LL. l. placuit, C. de Iudic.* id vero est æqui & boni ipsius, *l. 1. De Iust. & Iure.* magistra-

giſtratus, qui legem quaſi loquentem referunt, *arg. l. 8. eod. tit.* agere utique perinde oportet.
2. Unde principio illud quæritur, *An iudices * in republica bene conſtituta iuris ac legum imperiti admittendi ſint.* Dubium vero movet, quod iudicia etiam hominibus militaribus tractare permiſſum eſt, *l. pen. C. de Iudic.* Id tamen admittendum non eſt quamdiu peritiorum haberi copia poteſt, ne puta facilius per errorem fines iuſtitiæ tranſcendant. Unde bona ratione hodie curiæ provinciarum fere ex iuriſconſultis conſtant, civitates vero maiores fere ſyndicos habent iuriſperitos. Uti & magiſtratus Romani olim ſuos vel aſſeſſores vel conſultores prudẽtes habuere. Quod ſi ii haberi difficilius queãt, cæteri etiam, ſed pro cenſus, prudentiæ & probitatis ratione prȩſtantiores admittendi, ita tamen ut iniungatur eis in cauſis ſingulis conſulere peritiores. Quid ergo, ſi qui ſubterfu-
3. giant * magiſtratus, *an ad eoſdem cogendi ſint*, videamus: nos diſtinguendum cenſemus, ut quidem, ſi potiores haberi poſſint, aut certe minus præſtantes, inviti non cogantur, ſin minus, diverſum dicamus. Nam cum ſtatus reipublicæ univerſus in bonum publicum ſit comparatus, partes quoque eiuſdem ſingulæ ad idem
4. revocandæ ſunt. Quibus conſequenter * & illud diſputatur, *utrum præſtet magiſtratus habere temporaneos, an perpetuos.* Et quidem perpetui experientiam & habitum perfectiorem conſequi videntur ad res obeundas. Præterea que &
ratio-

ratione præmii ac ſalarii quod magiſtratibus plerunque conſtitutum eſt, divitias conſequi præſumuntur, ut exiſtimandum ſit eos minus ſordibus deditos fore. Quæ ratio Tiberium movit, ut Rectores provinciarum raro aut nũquam revocaret. At vero temporaneos potius ſtatuendos illud arguere videtur, quod diuturna poteſtas reipublicæ tandem periculoſa videatur, Adde quod magiſtratus in republica interdum amicitiis & favore amicorum & cognationum diriguntur. Unde fieri queat, ut & indigni eligantur, quorum animi facilius accendãtur impotentia morum. Quæ ratio & Hannibalem prætorem Carthaginenſium movit, ut legem rogaret, qua iudices perpetui, qui ante fuerant, in poſterum annui forent, *Liv, lib. 33.* Nos igitur in Republica quidem magiſtratus temporaneos probamus. In principatu vero, ob rationes ſupra poſitas potius ſtatuimus, magiſtratus perpetuos haberi. Nec eſt quod obiiciatur in hunc caſum reipublicæ periculum, aut corrupti ex continuatione poteſtatis mores: quia ſub Principe magiſtratus male verſantes, facilius removeri, imo & plecti poſſunt. *vi. Bodin. elegantiſſime lib. 4. de Repub. c. 4.*

CAPUT XI.

SUMMARIUM.

1. *Propositio huius & sequentis capitis.*
2. *Liceatne de potestate principis disputare.*
3. *An Principem iniurias in se effusas deceat vindicare.*
4. *Quatenus iudex Principi iniqua præcipienti auscultare teneatur vel minus. & num 5.*

1. PRoximum est ut illud examinemus, an & quatenus * iniquum præcipienti Principi Magistratum parere oporteat, an & quatenus privato cuiquam Magistratui, iniuriam inferenti resistere liceat an minus, & rursus quanta Principis potestas sit in privato suum auferendo. Vt scilicet his e traditis mutua necessitudo etiam quæ inter Principem & Magistratus, & rursus quæ inter utrosq; & subditos est plene cognita sit, & perspecta. Sed hanc rem ut accurate tractemus, principio illud inquirendum venit, Liceatne de Principis * potestate
2. disputare. Dubium movet, quod alias dicitur, eam non sine sacrilegio in dubium vocari, *not. in l. 5. C de Divers. Rescript. l. 5. C. de sacrileg.* id tamen neu ro eo loco traditum est, sed hoc tantum, Pene sacrilegii esse, iudicium Principis de beneficio in aliquem collato, in dubium vocare. Indagare tamen & inquirere de eadem legitimo modo, licet. Verum interim est, seditiosis dispu-

diſputationibus aut concitationibus poteſtatẽ illam, utpote ſanctam & à Deo ipſo profectam, non contrectari oportere. Proinde & diſputationibus ſcholaſticis, veritatis indagandæ cauſa, diſputare de ea permiſſum eſt. Vti & ab Ordinibus Senatoriis plerarumq; rerumpublicarum, ſi quid Princeps ſeorſim, & ſine eorum aſſenſu ſibi arroget in præiudicium ipſorum, aut totius ſtatus, plerumque de eo agi in Senatu conſuevit. Sic Tiberius ad Senatum referebat de Chriſto domino referendo inter Deos, quia tamẽ Senatus ſacrorum arbiter ab antiquo habitus, *Cic. Tertull.*) indignabatur non religionis cauſam prius à ſe propoſitam, conſecrationem recuſavit, *Oroſ. lib. 7. Hiſt. c. 3.* Deniq; exempla eius rei obvia ubiq; & in omni republica ſunt, modo quæ non cadat in dominatum. Sed & ſi quis temere * de maieſtate Principis iniurioſe loquatur, laudabile adeoque prorſus regium eſt, 3.
diſſimulare potius iniuriam, & obliviſci adeo in univerſum, quam exigere vindictam, *vi. l. un. C. Si quis imp. maled.* Sed & huius rei exempla & ſententias etiam graviſſimas præſtantiſſimorum heroum, ſi memorare velimus, infiniti ſimus. Quibus poſitis illud in primis videndum quatenus Magiſtratum deceat * Principi iniqua præcipienti auſcultare. Et quidem, ſi Magi- 4.
ſtratus, & iudex adeo omnis, infra leges eſt, Princeps vero ipſe è diverſo ſupra eas, uti dictũ, indignum prorſus quæſtione videtur hac de re differere ulterius. Sed uti poteſtas principalis

legibus ita soluta est, ut vivat interim ex earum præscripto, sic & Magistratus subiectus iis est, ut æquo & bono multo magis, id est, legum argumento ingenuo, quam cuivis rescripto principali facile debeat auscultare. Istud interest, quod Princeps Legibus ipse præsideat Magistratui vero & Lex & Princeps pariter. *quinas lib.3.Polit.lect.9.* Proinde ita statuo [illegible] Rescripta Principis iudicem haud a[illegible]re quam si iuri conveniant, aut [illegible] versentur. Nam & ea quæ prin[illegible] solutus facit, non aliter accipienda [illegible] si nulli tertio præiudicio sint, *l. resc*[illegible] *tit.C.de prec. imp.off.* Nec obstat huic a[illegible]tum *l.2.* §. si quis à Principe. in fine N[illegible]d In Lo. Publ. quia ea recte ita acceptata est, si principi fuerint rescripti causæ iustæ. Excipimus res exigui momenti, & præiudicii minus magni, ut si agatur de dilatione danda, aut alia simili, quæ causam principalem non lædat, *l. quoties. & l. universa 4. C. de prec. imp.off.* Quid
5. vero si * tertio atque iterum præcipiat is qui rei summam obtinet, exsequi rem iniunctam, & quidem eo casu ita statuimus, iudicem qui Principi iniqua iubenti obtemperat non accusandum, cum excuset eum potestas superior. Si tamen de officio Iudicis vel Magistratus boni quæramus, ego ita statuo, uti ius ipsum rescripta iniqua iubet aspernari, ita nullam rationem aut æquitatem permittere eadem secundo, tertio, atque iterum præcipienti obtempera-

perare. Vti præses ille Syriæ, cui Caligula iusserat statuam suam erigere in templo Hierosolymorum, cum id ne faceret, maximis supplicationibus & obtestationibus Iudæorum moveretur, semel atque iterum Imperator idem denuo mandavit, & quidem gravissimis additis minis. Sed priusquam iussa postrema transferrentur, tabulæ naufragio periere, tyrannus conspiratione suorum circumventus & confossus est. Nec minor cancellarii illius Burgundiæ ducis laus fuit, qui sæpius atque iterum à principe suo monitus, ut rem parum æquam persuaderet aliis, & probaret in primis, ipse potius censuit muneri suo renunciare, quam rei minus probandæ author videri vel consultor. Princeps igitur à proposito destitisse, & cancellarium in munere continuasse perhibetur. Et profecto consultum similiter omnibus magistratibus est, ut munere potius destitui, quam rescriptum Principis iniquum exsequi velint.

CAPVT XII.

Summaria.

1. *Si quis Magistratus superior mandet quid exsequendum minori, an hic id exsequi cogatur,*
2. *Explicatio c. pastoralis. §. quia vero. de Off. deleg*
3. *An Princeps auferendo alicui ius suum, hoc ipso in eam rem præsumatur habere causam iustam.*
4. *Quid si Princeps in rescripto referat se id agere ex-*

re ex causa iusta. | *an majus.*
5. *Ius dominatoris hac in re*

1. SUperioribus consequēter videndum. Num, si quis magistratus superior *, mandet decretum aliquod iniquum exsequendum minori, hic id exsequi cogatur. Quæ quidem quæstio ridicula videtur si ea expendamus quæ disseruimus capite præcedenti. Nam si par est magistratum Principi iniusta iubenti nō parere, certe multo minus par erit magistratum magistratui quantumvis maximo auscultare. Certe iuris civilis ratio etiam iudici delegato, qui tamen iurisdictionem nullam habet, quandoq; de iudicato magistratus eius à quo datus est cognoscere permittit, idque non tantum si adversus ius ipsum iudicatum sit (quippe eo casu sententia tanquam iuri adversa per se nō subsistit) sed & si allegationibus minus veris sentētia sit obtenta modo id liquido probetur, *l. si prætor* 75. *De Iud.* Quid ergo est quod dicitur decretum etiam iniquum pro iure censeri, *l pen. De iust. & iure.* & res iudicata pro veritate esse. *l res iudicata. De Reg. Iur.* Sed illud tantum ad nomen pertinet, relatione habita ad id quod factum est ab eo quod fieri debebat, ut ait, iuris author. Posterius vero regulare est, eo quod rei iudicatæ difficilis rescissio sit. *tit. C. sent. resc. non posse.* Quid ergo de
2. Innocentii * rescripto dicendum, quo is iudici ordinario iniungit sententiam ex mandato delegati exsequi, etiamsi sciat eam iniustam, nec ullam adeo cognitionem de eadem illi admittit.

tit. *c.pastoralis §.quia vero.de off. deleg.* id ἐν πλάτει acceptum minus æquum putamus, adeoq; rationi ipsi penitus adversum. Certe iuris auctores, utcunque pagani, & Principes, utcunq; ferre militiæ & armis assueti, nusquam perinde impudenter aut stupide rescripsere. Et quidem inprimis ista opinione nihil minus verum est in sententiis iis quæ contra ius referuntur, eo quod constet has saltem ipso iure nullas esse. Perinde & si ex falsis instrumentis iudicatum sit, idem statuimus. *tot. tit. C. Si ex fals. instr.* Iam vero & adversus ceteras haud raro restitutio permissa est, causæ vero restitutionum etiam executioni sententię opponi per exceptionem possunt. *ut in d. l. 75. in fi.* Sed fortasse rescriptum illud tantum ad iudicata ea pertinet, quæ nulla non sunt, quæque restitutionem non admittunt; id vero ratio subiuncta non sinit quæ palam arguit, ordinario omnem in hac re cognitionem ademptam. Est enim ea hæc, quod ordinarius teneatur obsequi delegato. Recte proinde rescripti illius vel ineptitudo vel impietas, vel utraque pariter, prudentioribus magistratibus non modo, sed & iurisperitis ac politicis repudiata est. Sed an Princeps saltem auferendo alicui * ius suum, hoc ipso præsumatur causam in eam rem iustam habere, quæritur, & hoc nonnullis placuit, *arg. l. ex facto. 43. princ. De vulg. subst.* Prope tamen est ut ne quidē istud dicamus, nisi & una constet de ipsius causæ æquitate. Et id quidem clarius *argumento d. l. 43.* 3.

evincitur. Vnde & fere clausula rescriptis inseri solet, ne ea res sit tertio damnosa, *l.2.§.merito. D.ne quid.in lo. publ.* In omnem certe eventum iudici, non obstante rescripto, inquirere de veritate supplicationis incumbit, adeoque rescripto insertum esse oportet de quæstione habenda in fidem precum quibus illud est im-
4. petratum, *l.ult.C.de divers. rescr.* Quid ergo si * Princeps in rescripto referat, se id decernere ex causa iusta: & quidem Alciatus simplicius id exsequendum putat, *Reg.3.Præsump.8.* Menochius contra *lib.2. præsump.* 10. & huius sententia magis obtinet; eo quod princeps ipse actiones suas ex præscripto iuris æstimari velit, *l. digna vox. C. LL. tot. tit. C. Si contra ius.* adeoque nullius momenti censeri rescripta quæ non contineant clausulam de quæstione super fide precum habenda. *l. ult. C. de div. rescr.* Minusque ad rem facit *clem. 1. de probat.* cui Alciatus innisus est, quia ea non agit de præiudicio tertii, sed hoc tantum ait, principi de affectione sua vel amicitia erga aliquem testanti, credendum es-
5. se. Dominatori forrasse liberior * hac in re quam principi potestas sit, huic tamen semper cavendum, ne dominatum in tyrannidem convertat hoc est, ne cuique pro arbitrio suum adimat. Licet enim Dominus omnium videatur, & imperium eius patrimonio patrisfamilias simile, id tamen haud alio pertinet, quam quod nulli Senatui aut ordini reipublicæ, imperii sui & gestorum rationem reddat. Non etiam ut tyran-

tyrannidem convertat in dominatum. Nam si id agat, Princeps non erit, sed infractor divini pariter & humani iuris.

CAPUT XIII.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sint optimæ leges.*
2. *Præstetne iure scripto an non scripto uti.*
3. *Quæ leges minime mutabiles.*
4. *De premiis & pœnis.*
5. *Liceatne principi sub prætextu premii alteri conferendi, tertio adimere ius suum.*
6. *Num Princeps auferens alicui ius suum verum pretium restituere cogatur.*
7. *An Princeps non saltem id ius alicui auferre possit, quod pendet à ratione iuris civilis.*

LOcus exigit, ut de Legibus & iure agamus. Quandoquidem ea vinculum constituunt & compagem certissimam inter Principem, Magistratus, & Subditos adeo, cum erga illos tum mutuo inter se ipsos. Illud tamen in hac re principio videndum, * *Quænam Leges in republica bene constituta præstent.* Qua de re ex sententiis sapientiorum statuimus, rogandas eas pro natura & qualitate populorum quam maxime appositas esse. Modo vel ante omnia rationi conveniant & legibus divinis. Magnam proinde Principum qui vel fundant rempublicam, vel conservant, oportet esse prudentiam, tamque etiam quæ naturam civium quam ma- 1.

xime habeat exploratam. *Num vero Iure Scripto*
2. * *an Moribus uti præstet*, quæritur, nosq; illud præferimus. Idq; ut magistratuum potestas definita certis limitibus sit. Quamobrem hodie pene omnes gentes iure Scripto utuntur. Et vero licet status Spartanorum moribus constiterit seu iure non scripto, Romanorum tamẽ vel hoc maxime præclarior habitus est, quod hi legib. certis uterentur. Idq; & exemplo instituti Divini in Populo Israel probatur, Quod si de Legibus
3. Optimis * quæratur, quæq; iuri gentium ac rationi quam maxime accommodatæ sunt, ideoque quam minimum obnoxiæ mutationi: non videmus quæ præferri legib. Romanis possint. Unde eædem & etiamnum, plerisque gentibus humanioribus, excusso iam pridem præpotentis imperii iugo, sunt receptæ, Gallis inquam, Hispanis, Polonis, Qui posteriore tametsi, uti & Sueci ac Dani Iure Romano non directo utantur, sequuntur tamẽ idem in quam plurimis legibus suis. Certe ius publicum (de iure Belli, Monetæ, Fœderum, vectigalium indicendorũ, & similia) uti ex mero iure gentium deprompum est, ita etiamnum gentes pene omnes id
4. positum reputant sibi. Denique id * in legibus publicis potissimum efficiendum, ut eisdem bene merentes premiis, improbi vero pœnis pro delictorum qualitate iustis afficiantur. Præmia dicimus honores magistratuum & curationum. De Pœnis vero vide iuris authores *in l. perspicien-*
5. *dum. & l aut facta. de pœn.* Illud quæritur, * Liceat-

ceatne Principi sub prætextu premiorũ auferre alicui privato suum: Sed hoc statuendum nõ est præterquam ex gravi eaque publica causa. Alias enim singulorum Dominus foret, qui cũ non sit, nec potestatem auferendi habet. Hoc tamen ob causam publicam graviorem admittimus, cum singulorum causæ publicis cedant semper. *Num autem * quo casu Princeps alicui ius suum aufert, verum pretium refundat*, disputatur, & hoc quidem magis est. Nec refert quod alibi dicitur de modico dando gratia honoris. *l. item si verberatum. §. fi. De rei vind.* hoc enim ad prædia pertinet in provinciis devictis, quæ militibus interdum assignantur. Ea enim victori cedere censentur, ita ut si relicta forte possessorib. sint, posteaq; auferantur, non censeatur deberi pretium verum. Sed cum Princeps saltem * supra ius civile sit, an non id saltem alicui recte ablaturus est, quod sola iuris civilis ratione posside tur (Ponamus rem usucapione comparatam) nec tamen hoc dicendum. Nam cum id quoq; nostrum sit, statuendum etiam id sine facto nostro nobis auferri non posse. *l. quod nostrum. de reg. iur.* Quin & illo posito, fateamur oportet, aliquod rescriptum etiam in damnum & præiudicium tertii edi posse, quod tamen dicendum non est. *l. rescripta. C. de prec. imp. off.*

6.

7.

CAP.

CAPUT XIV.

SUMMARIA.

1. *Curationes, Curatores.*
2. *Qui, quamque necessarij.*
3. *Exempla curatorum.*
4. *Quid in muneribus eorum observandum.*

1. MAgistratibus proximi *Curationes* sunt. Ab his nimirum * & dicti *curatores. Curatores* vero sunt administratores munerum publicorum, quæ sine imperio aut iurisdictione sunt. Et
2. horum usus etiam in * republica summe necessarius est, cum & diversa ad civitatem pertinẽtia sine iurisdictione, peragantur, procurari tamen & administrari expediat omnino. Eiusmo-
3. di sunt Senatores, itemq; * iudices qui sine imperio sunt, item iurisconsulti, præfecti militares, episcopi, prælati, sacerdotes, curatores viarum, portuum, publicarum ædium (qui posteriores tamen plerumque aliquo cum imperio esse solent) legati, syndici, secretarii, procuratores publici, notarii, nuntii, lictores & similes. In horum vero muneribus id observandũ,
4 *Omnia * eis ex fide, bono publico & commodo rei sibi commissæ expediendum esse pro re nata. Ita tamen ne facile transiliant mandatorum fines.* Quamobrem istæ clausulæ, quæ mandatis curatorum & legatorum inseri solent: Si quid amplius fieri oporteat pro locorum, temporum ac personarum varietate, ex consilio suo curabit, non censentur

ſentur pertinere ad ea quæ ſine ſpeciali mandato nequeunt expediti, ut fœdera, bellum, pacem, inducias & ſimilia, ſed tantum ad minutiora. Nec eſt quod hic de curationibus ulterius addamus cum eæ fere pro re nata ad uſum reipublicæ & inſtituendæ ſint & flectendæ.

CAPVT XV.

Summaria.

1. *Civium ordo duplex, & primus quis & quotuplex, & quis optimus. & n. 2.*
3. *Alter Ordo quis.*
4. *Curatores magiſtratibus ut interdum præponantur.*
5. *Theologi quare præferantur ceteris.*
6. *Milites qui præponantur philoſophis ſpeculativis.*
7. *Agricultura quomodo laudabilis.*
8. *Patroni cauſarum.*
9. *Negotiatores, Fabri; Pictores.*
10. *Vſus quid poſſit hac in re.*

HIs poſitis *videndum de ordine civium eſt, 1.
is vero duplex eſt. Primo quo civitas diſtri-
buitur convocãdæ multitudinis cauſa in tribus
diſtinctas; idque aut in collegia, verbi gratia o-
pificum, negotiatorum, ſed [illegible] aliorum, aut
in tribus regionum loco diſtinctas vel cenſu,
hoc eſt facultatum quantitate ſeu modo. Diſtri-
butionem tamen poſteriorem *tutiorem puta- 2.
mus. Quia enim collegia illa fere ex promiſcuo
vulgo conſtant, rationeque communionis ſuæ
fre-


frequentes etiam occasiones congregandi habent: una & sine suspicione consilii de republica capiendi tuto conveniunt. Unde & seditionum non raro ab iis causæ. *vi. sup. lib. 1. cap. 1. pen. & ult.*

3. Alter ordo est inter * civium genera vel dignitate vel conditione inter se diversa, ut sc. minus dignis digniores præcedunt. Sic Senatus, & in eo Senatorius Magistratus præcedunt magistratus minores, ex his rursus alii alios, prout sc. quiq; minores vel maiores sunt. *vi. tit. C. ut Dig. Or. Seru.* Sic verbi gratia Rex præcedit Principē Electorem, Electorū Senatus Duces, hi Lantgravios, & hi rursus Marchiones, Comites, Barones. idque tantum exempli causa statuimus, uti id fere in Germania servatur. In Italia enim & Gallia non omnes Marchiones Comitibus præferri solent. Rursus inter optimates plebeios præcedere decet eos qui magistratu defuncti sunt, postque eos administratores publicarū curationum. Ut tamen rursus functi potestate maiore, minore functis præponantur, *l. 1. de al-*
4 *bo scrib.* Quanquam usus & ratio admittant * interdum ut & curatores magistratibus præponātur, quomodo inter Christianos episcopi & abbates magistratibus minoribus præferri solent. Post eos præponendi optimatibus cæteris sunt primi Theologi, Secūdi Iurisperiti, Tertii Medici, Quarti Philosophi, ii tamen qui actu, hoc est, doctrina se tales profitentur, tum Milites, post Philosophi Speculativi. Theologos præponi-

ponimus *, quandoquidem his & ab antiquo 5.
præ ceteris honos habitus, adeoq; Reges prisci
ipsi fere una & sacra tractavere. Milites * vero 6.
quod hic Philosophis speculativis præponi-
mus, de iis accipimus qui cum aliqua dignitate
sunt, ut Centuriones, *Afflict.in Const. sici' quæ in-
cip.Const.Præf 1.notab.*alias non, *arg l.ult. C.qui mil.
poss.* Philosophos vero Speculativos postponi-
mus, quoniam hi vita magis alieni sunt, eoque
fere minus reipublicæ conducunt. Denique ex
plebe ipsa præponendi possessores agrorum
sunt. Agricultura enim * plerarumq; gentium 7.
moribus, etiam optimatibus laudabilis cense-
tur, *vi. Plin.lib.18 c.3. Columel lib 1. de Re Rust.c. 1.
Cic.in Cat Maiore.* Tametsi qui conducti ean-
dem tractant, fere inter viliores censeantur.
His subiungimus patronos causarum, sed * vita 8.
honestiores. Quippe qui non minus quam mi-
lites Reipublicæ conducunt. *l.14.C.de advoc. di-
ver.iudicior* & prope nobiles habentur, *not.DD.
in l.pen. C.Postul.* Eos dein sequantur * nego- 9.
tiatores, tum fabri, pictores, & dein cetero-
rum opificiorum minus vilium ingenui, postre-
mo vero opificia vilia tractantes & libertini.
Honesta enim mercaturæ tractatio est, & licet
olim plerisque nationibus minus decora fue-
rit, uti & Senatoribus Romanis, *Liv. lib.* 20.
hodie tamen in Hispania, Italia, Germania in-
feriore, ne quidem principibus ipsis turpis
censetur. Fabrilis vero ars reipublicæ quo-
que summe utilis censetur, *vi. lib.1 Reg. cap.* 13.
& V-

& Vlysses se fabrum gloriatur *apud Homerum* 23. *Odyss.* Sic & pictoria ars pura est, & Fabio nobili Romano laudi tributa. *Cic.* 1. *Tuscul.* Multum ta-
10. men hac in * re consuetudo potest. Nam qui hac ætate abiecti sunt, alia rursus aliquo loco sunt, & vice versa. *fac. l.* 11. *D. de Decur.* Olim enim plerique opifices viliores erant, quod artes eorum tractarentur per servos; hodie vero, servitiorum usu sublato, complura opificia magis decora censentur. ↓ Vilia igitur hodie tantum agrestibus inferiora sunt, eaque demum quæ cum infamia exercentur.

Finis libri Secundi.



LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Summaria.

1. *Ratio Ordinis.*
2. *Media externa reipublicæ conservandæ quæ.*
3. *Ærarij usus in republica quam necessarius.*
4. *Quibus mediis id augeatur.*
5. *Negotiationũ usus quatenus in eam rem utilis.*
6. *Censûs antiqui ratio.*
7. *Quatenus Princeps merces per regiones suas vectas onerare tributo possit.*

ABsolutis iis, quæ * ad internam status constitutionem pertinent, recto nunc ordine progrediendum est ad media externa, comparata eiusdem & civitatis adeo ipsius conservãdæ causa. Quorum primum est *Ærarium*, hoc 1.
est patrimonium seu universitas * rerum pertinentium ad rempublicam ipsam; Secundum 2.
Ius Belli; Tertium *Pacis, Fœderum, Induciarum*; Quartum, *animadversio ortus, incrementi, mutationis & interitus rerumpublicarum, prudentiaque ista prævidendi*; postremo addendum de Optimo Reipublicæ statu, ut hisce omnibus cognitis,

quæ ad augendam conservandamque rempublicam pertinent, quoad fieri pro instituta brevitate potest, quam maxime sint perspecta. Ad primum quod attinet, eius rei usus necessarius
3. in republica * omnino est, cum ad premia bene merentibus irroganda, tum ad splendorem, decus, potestates, rursusq; ad munitiones, flumina, portus, reliquaque necessaria conservanda; denique bellum quando id necessarium fuerit, sustinendum, & similia evenientia p[illegible] nata. Porro *Ærarium* recte nobis definisse videmur *Universitatem bonorum & obventionum reipublicæ ipsius*, quæ vero eodem com[illegible] publica dicuntur. Tametsi Romani ob summam imperii sui maiestatem tantum ea publica dicenda censuerint, quæ pertinerent ad civitatem suam. *tex. & DD. in l. inter publica. 17. de verb. sig.* Denique differunt ab his ea quæ in patrimonio principis sunt, & ad merum eius dominium pertinent, quorum universitas ærarium privatum dici solet, itemque res privatæ, *l. 1. & l. [illegible] C. de fun. patrim. lib. 11 vi. nostra lib. 3 Subtil. c. 1.* Licet & nonnulli interdum utraque hæc promiscue hoc ærarium, illud fiscum, & vice versa dixere. Alia tamen ratione publica [illegible], quæ non tam in patrimonio populi quam usu talia sunt, ut viæ, flumina, portus, viæ publicæ & similia, *l. flum inum. 24. de dam. inf. l. 2. §. ad ea ne quid in lo publ.* item alia quæ [illegible] iure gentium sunt communia, ut mare, & per hoc littora maris, *l. 2. D. de rer. div.* Quæ ob hoc interdum

dum publica dicuntur, quod populi in ea imperium sit, *l.3. ff. ne quid in lo. publ. l. quod in littore. 14 de acq. rer. dom. §. 2. 3. & 4 Inst. de acq. rer. dom.* Hic observandum, cum ærarii copia, uti ex iis quæ dicta constat, maxime ad * reip. conservationem spectet: summopere semper annitendum in eius auctionem esse. Non quidem fraude aut severitate, sed mediis honestis, ut constitutione emphyteuseos, seu locatione perpetua prædiorum publicorum, vectigalium institutione, usu monetæ, pœnarum & multarum exactione, agrorum hostilium acquisitione, negotiatione, & similibus. Licet vero, quod de negotiatione * dicimus, fortasse nonnullis in hanc rem novum videri queat, isti tamen si cōsiderent Hispanorum Lusitanorum, Venetorum, Belgarum opes, quæ ab eadem, desinent mirari. Illud in exactione vectigaliū (quo nomine iam intelligimus omne genus exactionū quas subditi in ærarii auctionē conferunt) observandum, ut locupletiores plurimū, tenuiores minimum graventur. Quo fine Romæ & alibi olim * census civium iniri solet, ut pura omni semper occasione compertum esset, quid cuiq; oneris posset imponi, vel minus. Illud q̄ritur, *An Principi alicui bona seu * merces per regiones suas vectas, graviori tributo onerare liceat, quam opus sit in reparationem viarum, riparum, portuum, pontium, cataractarum*, quod magis est. Est enim Princeps quisque imperii sui, nec legem sibi idcirco ab alio dici patitur. Cavendum tamē hac

4. 5. 6. 7.

in re est, ne ista ratione gravatos in se suosque armet, itaque eis iustam belli tribu t c ec sionem. Necessitatem enim æquissimam belli causam esse omnium historicorum, & politicorum monumenta convincunt.

CAPVT II.

SUMMARIA.

1. *Vectigalium indicendorum ius ad capita maiestatus pertinens, quare hic repetatur & explicetur.*
2. *Quomodo id usurpēt respublicæ vicariæ.*
3. *Ius Monetæ pertinens ad capita Maiestatis, quare hic explicetur.*
4. *Quo iure Principes imperii nonnulli id omnia Imperatoris in [illegible] usurpent.*
5. *Quæ ratio m[illegible] [illegible] dendæ sit haben[illegible].*
6 *Explicatur ar[illegible] tit. de Regalibus in [illegible] feudorum.*
7 *Censuræ [illegible] ratio & num 8.*

1. PORRO vectigalium indicendorum * ius superius ad capita maiestatis retulimus, idq; non eo factum quod ratio indicendorum eorum & modus, ad illa referenda, (quia de hoc [illegible] *cap. præced.*) sed tantum ut indicaremus [illegible] tem indicendi illa notam maiestatis esse. Quod & iure Codicis provisum est *l.* 3. *C.* [illegible] *inst. non posse* Civitatibus igitur cæteris id permissum non est, *l.* 2. *C. eod.* Licet enim eis sua qualisqualis reipublicæ summa sit, *l.* 1 *D.* [illegible] *mancip.* non tamen iis fruuntur, quæ pertinent ad imperium supre-

supremum, *vide nostra supra lib. 1. c. ult. in eod. hoc tract.* Civitatibus tamen liberis, itemque ducibus & principibus cæteris hodie usitatum est ut Principem in tributorum exactionem non rogent. Ordines interim ipsos singularum regionum aut civitatum in eam rem consentire oportet. Sed & omnis * usurpatio ista, sive 2. Principum vicariorum, sive Ordinum Municipalium, fere ex beneficio, privilegio aut usurpatione diuturna est quæ fere instar privilegii obtinet. Sed in republica bene constituta consultum semper ducimus, ne nova vectigalia instituantur Principe inconsulto. Quod vero de Iure * vectigalium, & una de Iure Monetæ 3. dicendum. Cum & id ad capita maiestatis relatum sit, hic vero denuo referatur inter ea quæ sunt augendi ærarii causa. Vnde qui monetam privata authoritate cuderit, capitis damnatur, & quidem ex Lege Maiestatis læsæ, *l. 1. & 2. C. de falsa moneta* Certe Principes prisci id ius usq; eo ad maiestatem pertinere censuere, ut etiamsi id speciatim alicui concessum esset, non tamen eo permiserint frui, *l. ult. C. eod.* Sed & tandem moribus idem iuris Principibus & Civitatibus vel privilegio vel beneficio permitti cepit, at Nomine Imperatoris semper infigendo, itemque ut Legem Imperii sequantur. Vt revera id ius tantum vicarium sit, nec quicquam proprii in eo Principes & Civitates sibi queant vindicare. Quod igitur * ad eos attinet qui omisso 4. iam pridem Imperatoris nomine monetam cu-

dunt quasi reguli supremi, uti Dux Lotaringiæ, Sabaudiæ, Florentiæ, & Italiæ reliqui, cum in iis versemur, quæ ad maiestatem pertinent, dicendum est, usurpatione hac nihil sibi acquirere iuris. Nam cum in rebus patrimonii nostri ne quidem mutare nobis causam possessionis queamus, *per vulg. & arg. l. male agitur C de Præs. 30. An.* multo minus id fiet in iis quæ ad Summa reipublicæ pertinent. Ut Imperatori & Ordinibus Imperii eos in ordinem redigendi ius sit
5. semper. Quia tamen * ius monetæ etiam ius est, ex quibus ærarii augmentum redundat, cavendum ante omnia est, ne pecunia vilior cudatur, quam pretium æris pro mo e præsenti vel nostrę reipublicæ vel vicinarum admittant. Quia id & publice ad decus civitatis pertinet, & privatim una ad præcavendam iniuriam singulorum. Sunt tamen & alia quæ in usibus feudorum * recensentur, *tit. quæ sint regalia* quæ errore quodam à nonnullis ad iura maiestatis referuntur, cum tamen eo capite nihil aliud tradatur, quā quæ commoda fisci sint. Illud etiam paulo latius explicandum, quid fuerit censura. cōmendavimus enim eam admodum in vectigalium exactione. *Censura* igitur (cui qui præerant censores dicti fuere) est inquisitio * & animadversio in civium facultates & mores. Quamobrem & partes eius duæ sunt, una est, qua possessiones & bona singulorum inquiruntur & annotantur. Ut sc. constet de numero, conditione, ætate, facultatibus singulorū. Quæ res innume-
6.
7.

rii

ris libris amovendis causam præbet, & tributi imponendi rationem certam; adeoque facit ut Respublica semper de suis, civiumque viribus constet. Altera censuræ pars * est animadvertere in mores civitatis, luxumque & prodigalitatem coercere idque vel mulctis, vel etiam levi infamiæ nota. Et hanc igitur rem summe utilissimam rebuspublicis restitui profuerit, sed qua ratione id fieri queat, equidem vix video. Alteram interim partem supplent hodie prope Antistites rerum sacrarum, idque obiurgationibus & coercitionibus religiosis. *vt. Bodin. 6. de Rep. c. 1. Lips. l. 4. Civil. Doctr. c. 11.* 8.

CAPVT III.

SUMMARIA.

1. *Bellum quid*
2. *Causæ eius iustæ quæ.*
3. *Iniustum ab initio ut iustum fiat*
4. *Latrocinia & Prædationes an augendæ rei familiaris causa permissa.*
5. *Num in homines ita socordes ut intelligamus eos imperiis subesse oportere, recte arma stringantur.*
6. *Duelli usus.*
7. *Iuris Belli effectus.*

SEquitur *de Iure Belli.* *Bellum* * nobis est dissidium publicum inter mutuos hostes constitutum. Cæteri enim, qui ausu privato etiam rempublicam invadunt, adeoq; in periculũ adducunt, non hostes, sed latrones sunt, ideoque ius belli cum iis non est, *l. quos nos hostes. de ver.* 1.

sign l. latrones. 27. de captiv. & postl. & l. hostes. 24. eod. tit. Id vero ideo huc referimus, quod ad id nobis necessario deveniendum sit, si ab iis ab aliis, qui vel medio iuris. vel intercessione amicorum vel superiorum flecti nequeant, tentemur. Et vero de iustis belli causis si quæramus,
2. *ita statuimus, ab initio nullas esse præter necessitatem defendendi sui, & occasionem subveniendi oppressis. Sed quod ab initio iniustū
3. est bellum, progressu ea ratione *iustum fiet, si quos nobis hostes deligimus, ii se mutuis armis defendant. Cum enim horum ex parte bellum sit iniustum, hostes vero & hostes inter se relati sint, fieri nequit, ut alteri latrones sint. Proinde ex eo bellum utrimq; iustum est. Id quod eius effectus est, ut utrimque iura belli serventur. Vindicem tamen Deum haud dubie sentiet, iniusta causa motus arma arripiens. Quibus pellitas Aristotelis sententiam in probandam putamus *, qui latrocinia & prædationes,
4. augendæ quoque rei familiaris causa, naturali ratione admissas putat, 1. *Polit. c.* 5. Sed intentus eo discursu in morem priscorum fuit, qui nulla religione ducebantur, venatum irent an latrocinatum, & latrocinium idcirco inter genera venationis referebant. *Plutarch. in Theseo.* Abhorret tamen id à iustitia & ratione naturali, tribuente cuique suum. Multo religiosius igitur iuris auctores, hunc modum acquirendi dominii, inter eos, qui naturali iure permissi, non agnovere, *tot. tit. D. & C. de acq. rer. dom.*

Gra-

Gravius tamen in eo lapſus, quod facultatem prædandi auſu privato, utpote naturali ratione vetitam, cum modo quærendi per militiam, quippe naturali ratione permiſſum, confundit. Num vero in homines ita ſocordes *, ut intelligamus eos imperiis ſubeſſe oportere, ad ſubigendos eos privata poteſtate naturali ratione bellum iuſtum ſuſcipiatur, quæritur: non putamus. Recte enim iuſtitia Romanorum laudatur, quod nemini bellum denunciarint, niſi per feciales ſeu legatos prius poſtulaſſent damnum ſibi illatum reſarciri. Quo negato demum bellum ſuſcipiebatur. *Feſtus & Varro.* Principi tamen, aut populo, ſi id potiſſimum faciat cauſa populi alterius conſervandi, & una ut tutiori ſuo fruatur, id cenſemus permiſſum. Et conſequēter forte etiam patrifamilias, qui necdum alicui imperio ſubſit, modo neuter in id magis libidinis imperii, quam cogendi in ordinem vicinos pacati imperii ſui & illos conſervandi cauſa, ducatur. Denique ſi bellum publice * ſuſcipiendum facile non eſt, conſequēs eſt, nec duelli uſum permittendum. Erat hic quidem modus litium finiendarum Danis olim permiſſu Frotonis Regis receptus, & ab iis in Italiam Germaniam, Galliam, traductus: ſed tanquam iuſtitiæ & ordini iudiciorum adverſus conſtitutionibus & bona ratione moribus ſublatus eſt. Ius belli in eo effectū habet quod capta * ab hoſtibus iure gentium etiam capientium fiant, ut tamen mobilia capientibus ſin-

5

6

7

gulis cedant, immobilia vero fisco Principis aut Populi victoris *l si captivus, 20. §. 1 de cap. t. & postl. §. i. em ea. Inst. de rer. div.*

CAPUT IV.

SUMMARIA.

1. *Genera Conventionum Publicarum.*
2. *An fides hosti data sit servanda*
3. *An etiam à privato data.*
4. *An servanda iis qui à nobis defecere*
5. *An adversarius in bello civili servanda*
6. *An latronibus & piratis & num. 7.*

SEquitur de *Conventionibus Publicis* nam & has iniri publicæ quietis causa oportet. Earum
1. autem genera sunt, * *Pax; Induciæ, Pacta quævis cum hostibus inita, itemque Fœdera publico nomine contracta.* Sed hic in principio illud
2. quærendum, *Annon Fides hosti* data a [illegible] *servanda.* Quod quidem nos quæstione omnino indignum censeremus, nisi magnæ authoritatis viri id quandoque obliquis verborum ambagibus in dubium vocassent. Qui tam [illegible] gentiū cum eis communio est, *a. g. l 5. D. de Pac. & l. ult. D. de Legation.* nomineque fere c[illegible] publico agitur, nos eam sanctiorem fide ulla privata e[illegible]stimamus Et vero quis unquam iu[illegible] conditorum, quis philosophorum id in dubiū vocavit, nisi quod ignorantia & superstitione turgidi homines quam pauci id nulla fronte negari[illegible]
Quis

Quin & privato nomine si ne * hosti datam ser- 3.
vari oportere magis dicimus. Exemplo fit Atilius Regulus, & alii plures, qui vel fidem datam servarunt, vel quod non se vassent, ignominiosi & infames habiti sunt. *Gell. lib. 7 ca. 18.*
Quid ergo, si qui ipsi fidem ruperint * nobis, & 4.
quidem decedum eo casu videbatur, fidei nullum vinculum esse, cum delicta delictis fere compensentur, *arg. L. 14. pro soc. & arg l 39 sol. matrim*
Sanctius tamen est *, eis vel fidem non dari, vel 5.
datam servari. Vim quidem vi repellere licet, & dolum avertere dolo, non tamen in fide data licet eum vindicare. Alioquin enim occasione hac patentem portam fraudi aperiamus. Quid ergo, *An & qui subditi à nobis desciverere *, merean-* 6.
tur ut fidem eis servemus, quaeritur: & hoc quoque dicendum. Sunt enim ii quoque hostes *l. 5 §. 1. de capt. & postl.* ut consequenter iuris gentium cum eis communio sit. *d. l. ult. De Legation.* Maxime vero id ita est * in bello civili, conventio- 7.
ne facta cum altera parte. Proprie quidem hi hostes non sunt, & adversarii dicuntur *Cic. Phil. 12.* Sed meliori conditione quam hostes ipsi habentur. *l si quis 21. §. 1. D. de capt & postl. rev.* Denique & cum latronibus, piratis, servis fugitivis * in rempublicam armatis, stricti iu- 8.
ris gentium commercium esse. *arg. l. bona fides. 31. §. 1. & si Depos & l. quod attinet. D. de reg iur.* non tamen quatenus latrones sunt *arg. eorū quae perelegantur Triphoninus differit. in d. l. 31. § 1.* Unde fit, ut, si nuncios emittat, publica fides eis nō debea-

debeatur, *arg. d. l. hostes. de V. Sig. & d. l. hostes. de capt & post. rev.* nec, quod capiunt, illorum fiat, *l. 13 qui test. fac. poss.* Plane si eis etiam fides addicatur, salva dignitate ea vix violari potest. Quãobrem Augustus Coracotæ latronum in Hispania duci, Cæsar, Pompeius, plerique fidem piratis semel addictam, servavere. Qui vero privata eis fide obligatus est, ne quidem * si iuratus capitis pretium pactus sit, ulla ratione tenetur.
9. tur. *Cic. 3. Off.* cum quia iuris gentium cum eis communio non sit, tum quia nihil iuris eis sit in captivos, *d. l. 13.* Sed & dolo postulatum sint quod paulo post restitui oporteret, *c. dolo. de r. g. iur. in 6. d. l. 31. § fin Depos.* ut nulla ratio sit, quæ suadeat à privatis eis fidem servandam.

CAPVT V.

SUMMARIA.

1. *Quid Pax.*
2. *Quid Induciæ.*
3. *In quo differant*
4. *Mandato legati generali an potestas pacis contenta sit.*
5. *Fœderum genera tria.*
6. *Clausula fœderum de maiestate populi a tertiis comiter observanda.*
7. *Fœderum effectus.*

1. HIs præmissis * de Pace, Induciis, Fœderibus, & per quas illa fere peraguntur, Legationibus videndum. *Pax* est Conventio Publica perpetuo ab armis cessandi. Non igitur omnis Publica conventio pax est, quod verba iuris-

Iuriſconſulti indicare videbantur, *in l. conventionum. 5. de pact. verb quæ fit per pacem.* cũ ea exempli loco ſtatuantur, & cauſa rei declarandæ. Induciæ * vero ſunt Conventio Publica inter mutuos hoſtes de uſu armorum pro tempore intermittendo. Sed & illud inter pacem & inducias intereſt * Quod Ius Pacis ineundæ, ut belli ipſius ad maieſtatem pertinet, *l. un. C. vt arm. vſ. inſc. princ. interd. ſit, Lib. 11. l. 3. Ad L. Iul. Maieſt.* inducias vero & duces belli contrahant, ut recte Doctores tradunt *in d. l. 5. De Pact.* Quod ipſum tamen & de induciis brevioribus accipiendum. Longiores enim quia interdum alicuius præiudicii ſunt, & idcirco in genus pacis cadere videntur, non niſi inconſulto Principe aut populo iniri tutius eſt Et hiſce annis in bello civili Belgarum induciæ breviores omnes ſemper à ducibus initæ ſunt, cum vero ad inducias longiores belli totius deventum eſſet, conſuli Populum oportuit. Quo & putem ſpectaſſe leges Græcorum, quæ ne quidem ducibus induciarum fecere poteſtatem. *Thucyd lib. 5.* Mandato etiam in legatos generali utcunque ampliſſimo pacis ineundæ poteſtas non continetur. *DD in d l. 5.* A qua tamen doctrina male deſcivit Duarenus, *ibid.* cum nulla ratio ſit, quæ permittat caput aliquot maieſtatis, ſine ſpeciali mandato, in arbitrio legati eſſe, Nam cum id nec in iis ſit quæ ad capita maieſtatis non pertinent, *l. 1. D. de off eius cui man. eſt iuriſd.* multo minus pertinebit ad maiora ipſa hæc. Ad fœdera cetera quod atti-

2.
3.

attinet, ea fere sunt, quæ contrahuntur inter eos qui hostes non fuere. Vnde in toto tria fœ-
4. derum genera * statui solent. Vnum quo leges victis dicuntur, Alterum quo pares bello in amicitiam deveniunt, Tertium quo qui ante hostes nō fuere, contrahunt inter sese. *l. non dubito. 7. de capt. & postl. rev. Liv. lib* 34. Quæ tamen inter se non tam forma (quippe quæ fere in facto conventionum consistit) quam occasione seu causa impulsiva differre videntur. Addi etiam
5. iam illud fœderibus * nonnullis solet, ut is POPULUS ALTERIUS POPULI MAIESTATEM COMITER OBSERVET. Quæ clausula quidem libertatem populo inferiori non adimebat, designabat tamen alterum superiorem esse. Effe-
6. ctus fœderum est *, quod Potentiores ex lege eorum ab omni viatque iniuria tueri oporteat fœderibus inferiores, omnemq; adeo violentiam, dolum, proditionem ab iis cohibere *not. in l. 1 & l pen Ad L. Iul. Maj* maxime si quis Princeps aut Populus nuno se dederit in clientelam alterius. Et quidem nō sine summo scelere potentior te..iorem deseret aut imperio eiiciet. Vt quidem Turcarum Imperator patrum ævo Ioanni Hungariæ Regi, qui in clientelam eius metu Austriæ gentis concesserat, contra omne fas exuerit regno. Sed & clientes ac fœderibus inferiores sociis vicissim, data occasione aux lia præbere tenentur.

CAP.

CAPUT VI.

SUMMARIA.

1. *Legati qui, quibus nominibus dicti*
2. *Quid si aliis iniurii sint.*
3. *Missi ab aliis quando nobis sancti & num 4.*
5. *Legatio libera.*

DE *Legatis* qui & alio nomine *Oratores* seu *Feciales*, qui inter Principes & populos, fœderum & * Conventionum publicarum causa hinc inde ablegantur, illud observandum, Personas eorum sanctas, hoc est, inviolabiles esse, idque etiamsi bellum nobis oriatur cum Principe eorum, dum ipsi apud nos degunt, *l. ult. D de Legation.* Quod si nobis * ipsi iniuriam inferant, videndum, utrum Princeps aut populus, à quo missi potentiores sint nobis, quo casu tutissime ad eam rem connivetur, quod si id non metuamus, bona occasione potius in mãdatores, quam legatos iniuria retorquetur. Sic Mithridates, & Antiochus Magnus, Asiæ Rex, cõtumeliose à Legatis Romanorum exceptus, uterq; subticuit & acquievit. Sed missi ad Principes & Populos alios * ita sancti erunt, nisi mittãtur ab hostib. nostris. Quod si ab aliis * ad hostes nostros mittantur, violandi nõ sunt, nisi certo constet, Legationẽ tendere in damnũ nostri. Sic Athenienses intercepere legatos Spartanorũ missos ad Persam, *Thucid. l. 2.* sic Romani legatos

1. (margin, at "Conventionum publicarum causa")
2. (margin, at "ipsi iniuriam inferant")
3. (margin, at "ita sancti erunt")
4. (margin, at "ad hostes")

tos Carthaginensium missos ad Macedoniæ
5. Regem. *Liv.lib.3.dec.3.* Aliud erat Legatio * Libera, quæ puta, honoris causa impetrabatur ab iis quibus in provinciis aliquid rei suæ peragendum erat, ut sc. titulo hoc insigniti, maioris authoritatis provincialibus viderentur. Et huius mentio quandoque fit in iure nostro, ut *in l.qui libera. 14. De Legation.* apud Ciceronem. *lib.1.Epist.12.& Orat.in Rullum.* & alios *vide Leonin lib.4.Emend.c.4.*

CAPVT VII.

SUMMARIA.

1. Civitatum origines.
2. In iis quid observandum.
3. Disciplina quid.
4. Quotuplex.
5 Publica quæ.
6. Vtrum præstet soli virtuti bellicæ [illegible] & urbes prætera habere
7. Disciplina [illegible]
8. Vrbes ubi fundandæ. & num 9.

1. CIvitatem * omnem ex familiarum primo multitudine congregatam, aliam dein ex alia profectam diversa omnino ratione constat, Vel puta quod civitas onusta populo pro regionis tenuitate, vel causa defendendi sui adversus alios, vel metu seditionis pars aliqua, velut examen ab examine dimitteretur in alias sedes (quæ dein colonia dicebantur) vel quod cives ipsi dissidio laborarent, itaque pars una alteri

teri cedere cogeretur; vel quod milites, seditiosi, aut latronum manus, coi silium imperii & civitatis firmandæ conciperent; vel imperia maxima mole sui languida rumperētur in partes; pluresve è diverso populi minores fœdus inirent, quod postea in formam civitatis coalesceret; vel quod potentiæ & consilii sco fidens quispiam principatum in alios tentaret & consequeretur, vel vice versa quod qui tyrannidis pertæsi, aut vicinos metuentes populi imperium sibi maxime placitum constituerent. In his vero omnibus id observandum, quod postea quam *res eo devenit, ut multitudo Imperio 2.
& Institutis in Rempublicam videatur coalitura, disciplina opus sit, cum ad civium animos, & mores in melius formandos, tum ad statum Reipublicæ ipsum in virtute singulorum confirmandum. *Disciplinam* dicimus * publi- 3.
cum institutum ad exercendum cives in rebus bonis. Differt igitur à legibus cæteris (de quibus supra) quod eæ fere comparatæ sint ad cōtinendum cives in officio, & figendum Magistratui modum ac fines in cognoscendo, hæc vero consistat in studiorum præfinitione. Denique disciplina * alia publica est, alia privata. 4.
Publicam dicimus qua cives publico nomine exercentur, ut * religione & bello. Quod si 5.
quæratur, qua religione civitatem imbui oporteat, eam consulemus, quæ ducat ad cognitionem immortalis Dei, & gloriam eius summa pietate celebrandam. Religionem tamen non

tam cogendam, quam suadendam putamus, itemq; populum ad eam præmiis invitandum, pœnis vero non nisi levibus constringendum. Sic n. Theodosius à religione Christiana devius levem mulctã indixit; Iustinianus eos tantum ab officiis publicis submovit. Sed Princeps ipsos plurimum exemplo suo in eam rem p[osse] sciendum est. Ad studia belli quod attinet, in iis ante omnia cives exercendos putamus, idq; etiam tempore pacis faciendum, præstantissimarum civitatum exemplis docemur. Venetos excipimus, qui commodissima loci opportunitate tuti, minimis semper se viribus tueri queunt. Vt quidem illi prudenter à solertiori belli studio civitatẽ contineant, quo occasionem eius facilius aucupandi evitent. *Num* vero *præstet soli virtuti bellicæ inniti* *, *an & præterea civitates munitas habere*, quæritur. Dubium movet, quod langu-

6. re videantur civium animi, securitati mœnium innisi, & quod complures populi florentes etiam hodie mœnibus destituti sint. Vt pleræque civitates Britannorum, Helvetiorum, Scytharum. Tutius tamen est & mœnia adiuncta habere, quib. & impetus hostium improvisus sistatur, & mora adeo iniiciatur tardius in recessus regionum interiores penetrandi. Sequitur de

7. disciplina * privata. Eam v. dicimus, qua cives singuli ad studia rei privatæ applicantur. In qua hoc generatim observandum, iuventutem inprimis ad studia literarum & humanitatis invitandam; reliquam vero ætatem vel ad negotia;

vel

vel agriculturam, vel opificia, idq; prout locorum opportunitati commodius erit. At vero quia * negotia plurimum utilitatis publice ac 8.
privatim ad civitatem augendam adferre constat, in urbium fundatione eo potissimum annitendum est ut eædem, vel fluminibus, vel sinui aut ostio maris adiungantur, vel in insulis fundentur. Maxime cum hæc res quoq; summopere ad munimentum pertineat adversus hostes. Deniq; idem & munitionis * causa in montibus 9.
fieri tuto putamus, sed tutius in insulis, fluminibus, ostiis Oceani aut maris. Cuius quidem rei exemplum & Veneti, & Batavi Zelandi, Frisii, sociique eorum ante hac ab omni ævo invicti dedere.

CAPVT VIII.

De Mutatione & Occasu Rerumpublicarum, & causis earundem

SEquitur nunc de *Corruptione, Mutatione & Occasu rerumpublicarum. Corruptionem* dicimus vitium, quo eæ in periculum deducuntur interitus; *Mutationem*, qua earũdem status ex consueto mutatur in alium; *Occasum* declinationem extremam, qua puta vel civitas perit in universum, vel ita supprimitur, ut forma eius ac summa omnino exstinguatur. Eandem tamen civitatem manere censemus, quæ non interit penitus aut evertitur, sed cuius tantum mutatur status, nisi in civitatem aliam cogatur, adempto ei in universum proprio statu ac summa: tũc enim

potius civitas interit, alterique quasi accrescit Genera quoq; mutationum tot numero statui possunt, quot status unius in alterius conversionem; Causas vero mutationum alias *internas* statuimus alias *externas*.

Internæ sunt, quæ in ipsa civitate, sive à populo, sive à principe sive uno aut aliquibus eorum prodeūt, vel non animadvertentib. id plerisque, vel scientib. & consentientibus iisdem. *Externæ* sunt, quæ extrinsecus accidunt. Interne, si in bonum contendant, & omnino appareat sine periculo Reipub. eas perfici posse, probandæ magis quam vituperandæ sunt. Quod si cōtendant in malum multo pessime sunt, adeoq; periculum occasus ac internecionis ab iis metuendum est. Unde & facile iudicandum de hac quæstione est, *Utrum Secessiones reipub. sint salutares.* Quod Machiavellus prope indefinite probavit. Nos tamen ex iis quæ dictæ sunt, ita concludimus: Salutares eas ita demum esse, si sine turbis in bonum contendant. Quia tamē causæ motionis fere à malo consilio dependent, adeoq; non semper felicem exitum sortiuntur, præveniendæ potius quam permittendæ sunt. Causæ deniq; motionum ac seditionum ut facilius animadvertātur, ab aliis enumeratæ sunt, *Arist 5 Polit. c. 2. & 3.* Sed nos eas magis in facto consistere quam certis observationum regulis contineri censemus.

CAP.

CAPUT IX.

De Medelis adversus pericula Rerumpublicarum.

SPecies vero causarum periculi & mutationũ colligi ex iis possunt, quæ superius de ortu & incremento rerumpublicarũ disseruimus. Cum eadem occasione qua ex republica una plures, vel vice versa fiunt, etiam mutationes proveniant. Neque tamen hæ causæ solæ sunt; nam & ex minima occasione periculum civitati imminere potest, *ut Iustiniani tempore Constantinopoli ob diversitatem colorum factio orta est, qua imperium in summum periculum est adductum, & Syracusis ob dissidium duorum senatorum in ambitu virginis æmulantium civitas in duas partes distracta est. vi. & causas alias apud Aristotelem 5. Polit. c.4.* Id vero quod de astrorum operatione in hac re aliquibus persuasum est, ab aliis pluribus confutatur. Et vero si horoscopi ratio in civitatibus necessaria est, sequitur, civitatis à stirpe eversæ, & multitudinis totius pari morte peremptę eandem in universo & simul in singulis omnis ætatis ac sexus civibus eandem siderum cõstitutionem fuisse: at hoc absurdum est. Igitur & id unde hoc sequeretur; *Deum proinde iustitiæ omnis authorem ut constituere imperia & civitates. ita mutare & evertere, idque vel maxime ob delicta hominum*, magis dicimus. *Daniel 4. c. vers. 14. Sap. 6. c. vers. 1. 2. 3.* Ad medelas igitur ut deveniamus malorum, *Tutissimum inprimis principibus refugium ad eundem præ-*

potentem Deum erit, adeoque eis semper opera danda summa pietati est. populusque in ea quam maxime erudiendus. Dein malo primum orienti obviam eundum est, seditionesq; quam severis legibus cohibendæ, idque vel maxime parta pace & tranquillitate. Si vero suspecta machinatio, necdum tamen detecta sit, consiliis seditiosorum omni arte iniicienda mora est, ut ita reliqua detegantur. Quod si res iam ad turbam devenerit, tutius fecerint, si se parti utriq; subducant, & intercessionib. civium bene meritorum utendum, ut atque per remedia arcana (quę σοφίσματα Aristoteles, Polybius ἐπικρύφια) in prim s rem componere tentent. Vt Iustinianus factionem illam colorum restinxit, dissidiorum authoribus corruptis; Pisander vero conspirationem in se ab Atheniensibus susceptam cohibuit suspicionibus mutuis in populo disiectis. Sed cum in omni hac re cum opera vel maxime magistratuum opus sit, eos certe præstiterit omnium prudentissimos adhiberi. Quod si aliter provideri nequeat, animadvertendum etiam suppliciis est, sed levioribus in primis. Ad graviores tandem deveniendum, idq; in authores seditionum tantum. Recte nimirum Seneca: *Vltima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire peremtis etiam intersit.* At vero num adversus virtute, vel meritorum gloria eminentes uti Ostracismo (i.e. exilio minus infami) cōveniat, quod Atheniensib. receptum fuit videamus: potiusq; dicimus nullam virtuti ac meritis pœnam statuen-

tuendam; ne & magistratibus ipsis inde occasio sit ad nefaria prolabẽdi. Tutum igitur adversus illos remedium ducimus, si arceantur magistratu, & publica potestate. Adversus pericula externa providendum semper est armorum usu, & manu militari in hoc parata, itemq; fœderib. Principum aut populorum aliorum. Providendum tamen, ne militum numerus maior alatur quam respublica facile sufferre queat, imo vero & minor numerus tempore pacis alatur, quo maior tempore belli conduci possit. Tutissimũ tamen est, cives ipsos armorum usui applicari, quod hæc res plerumq; & minori sumptui sit, & fidei ac securitati maiori.

CAPVT X.


De Optimo Reipublicæ statu.

SEquitur iam de Optimo Reipublicæ statu. Cum vero status omnis triplex sit, in hac re principio quæri illud solet, quis optimus eorũ sit. Et quidem Regium ceteris præstare, Platoni, Aristoteli, Tomæ & recentioribus plerisque probatum. Quod si tamẽ consideremus ab antiquo non minus florẽtes respublicas, quam regna fuisse sententiam fortasse eam non perpetuam dicemus. Quis status olim Laconico, Romano, Catthaginensi Achæorum, Ætolorum, Massiliensium florentior, quis vero hodie Venetorum, Helvetiorum, B-lgarum? Et quidem

duo sunt, quæ Regium statum aliis præ cæteris commendant, puta quod is naturæ ipsi conveniat, (cum & Deus O.M. unus sit, & apes etiam ductu naturæ unum sibi regem deligant) quodque Regna Assyriorum & Persarum etiam florentissima fuere, uti & hodie regna complura. Et quidem posterius hoc refutatione dignum non est, eo quod præ rebuspublicis illis nulla unquam imperia floruere. Quod si de republica præstantissima omnium una quæratur, quæ maxime adversus corruptionem, proditionem & omne nefas internum pariter & externum institutis & moribus optimis munita sit, quis status regius vel hodie, vel ab omni ævo, Venetorum reipublicæ cõparari queat? Rursus quæ respublica earum quas memoravimus unquam confracta ab ullo rege est (excipimus Græcos à Macedonibus & Alexandro utcumque devictos, quorum tamen regnum hi sibi usurpare nunquam tentarunt) at vice versa, quam innumeri Reges à populis ab stirpe sunt excisi? Lubecenses exiguo imperio contenti adversus potentiores Danorum & Suecorum reges semper invicti, imo sæpe victores fuere; Belgæ adversus præpotentem & maximũ huius ævi Regem Hispanorum perinde. Helvetii vero nulla post status sui conditionem virtute fracti. Quæ res mihi persuadet, ut admittam quidem statum civitatis felicem sub rege bono, non minus tamen felicem sub bono regimine optimatum, imo tanto præstantiorem esse, quanto magis ci-

gis civitatis pleroſque publicam ſalutem & utilitatem curare probabile eſt, ac reges ſui fere poſteritatiſque ſtudioſos. Quod ſi quis regerat, ſub principe malo tamen tyrannidem unius, ſub imperio plurium, multorum ferendam dicam, mobiles regum animos vulgo & recte cenſeri, & idcirco unum facilius proniorem in ſcelus & nefas, quam plures, quorum improbitatem vel unius vel plurium, virtute & conſilio ſalutari alii moderari poſſunt. Optimum igitur ſtatum cenſemus optimis legibus & inſtitutis ad populi quietem & imperii diuturnitatem compoſitum. Et argumentum igitur illud à naturæ ſimilitudine deſumptum nullius momenti eſt, adeoque, ni idem extra inſtitutam brevitatem foret, confutari clarius poſſet.

FINIS.



APHORISMORVM POLITICORUM LIBER,

QVO

Quæstiones Politicæ, maxime utiles & necessariæ, de gerendæ reipublicæ ratione, Septendecim sectionibus compendiose quidem, sed tamen neruose, explicantur,

AVTHORE

PAVLO BVSIO JC.

in Academia FRANEKERANA Antecessore clarissimo.



FRANCOFVRTI AD MOENVM

Typis JOANNIS-FRIDERICI WEISSI.

ANNO M.DC.XXVI.



Nobilissimis Amplissimisque viris

D. KEMPONI DONIA,
Præfecto in Leeuwerderadeel,

D. IELGERO FEITSMA,
Frisiæ Senatori & Quæstori Generali,

D. MARCO LYCLEMA à Nyholt,
Præfecto in Stellingwerf Oost-eynde,

D. GELLIO HILLEMA,
Supremæ Curiæ Frisicæ Senatori,

(Academiæ Franckeranæ Curatoribus meritissimis.) ICtis.

D. IOANNI SACAMA, D. IOANNI SANDIO, Senatorib ejusdé curiæ Supremæ.



Illustres Dissertationes, viri Eminentes, illustrem quæ de Republica doctrinam concernunt, ductu nostro cõceptæ nuper non necum essent, eo voto amici mox prosecuti cæteras fuere, ut authoritatem censuramque meam

Hæc est dedicatoria Politicarũ disquisitionum.

meam in eam rem assidui invocarint, donec numerus illarum, in hoc quod videtis devenerit iusti libri volumen. Et vero facilis motu fui in promotionem studii eius, quo nullum Academiis omnibus colitur minus; coli vero reipublicæ ipsius interest magis. Sed & ad professionem meam id pertinere iudicabam. Nam qui disciplinam hanc autumant contemplationibus philosophorum finiri, ex parte quidem illi non absurde, sed quatenus ea continetur principiis rationis minus exercitatæ, provectæ minus. Ad præcepta nimirum ipsa quod attinet, hæc ab historiis & Iure Romano depromi oportet. Verum hic mihi occinat quispiam, Ius istud unius civitatis esse, & finitum idcirco; nec consequenter ex eo doctrinam per se infinitam posse cōstitui, aut augeri, cui ego ius hoc ipsum nostrum præmagna sui parte, & quidem in publicis potissimum ex iure naturali seu gentium depromptū. Unde quæ de Fœderibus, Fide Publica, Iure Militari, Vectigalium, Moneta, & reliqua eiusmodi iure nostro continentur, non alia sunt, quam quæ ratio ipsa constituit inter omnes gentes. Aristoteles profecto in scholis & bibliothecis philosophorum veterum versatissimus, omnibus illorum commentis hac de re posthabitis, eam summa cum laude monumentis rerum

rum gestarum rite applicatis excoluit, auxit; principiis nimirum rationis hac in re minime contentus Nisi quod ætas, ut fit, non pauca addiderit inventis. Bodini igitur merita in ea non exigua sunt, is vero recte annotavit: Iuris Auctores in doctrina hac, velut Antesignanos habendos Vt & iure dedicemus hæc vobis, cum Iurisconsultissimis tum in republica versatissimis viris. Accipite igitur minutula hæc in gratitudinis qualecunque signum. Compensationis enim non dicam, quia favor erga me vester maior est quam ut exili officio hoc pensari queat. Valete interim VV. NN. & AA. magno reipublicæ bono.

Vester

PAULUS BUSIUS JC.



APHORISMORUM

POLITICORUM
SECTIO I.

DE

Vero Reipublicæ Fine Notis & Generibus.

APHORISMUS I.



OLITICA vulgo quæ, est doctrina Reipubl. rite tractandæ *a*. Et hæc licet pars Ethicæ censeatur *b*, ita tamen aucta ab usu est, ut Originem quidem eius Philosophiæ, incrementum vero maximum historiis & legibus Romanis debeamus *c*.

a) *Cic. Ratio & prudeutia Reipublicæ gerendæ.*

b) *Arist. & aliis, qui Philosophiam distribuunt, in Logicam, Physicam, Ethicam, Is.* lib. 2. Orig. cap. 24.

c) *Licet enim Ius Romanum non tantum Reipublicæ positum sit, æquius tamen eo aliud haud inventum,*

niam. Vnde Tullius optimum Reipublicæ statum descripturus, Romanorum pulcerrimum proposuit, Macrob. 1. in Som. Scip. c. 1. *& graviter Tacitus Leges XII. Tab. finem æqui iuris dixit, Tacit. in* Histor.

II.

Et vero Rempublicam Socratis aut Mori à *a*) saniori doctrina hac adeo exorbitare censemus, ut si quæ ii pleraque æqualitatis præcepta tradunt, usui applices, ima supremis sis mixturus, hoc est, Rempublicam omnem eversurus *b*.

a) *Plato enim & Xenophon usui paulo viciniores fuere. Ego credam Socratem (aut eius nomine Platonem) ac Morum qui viri fuere, illa exercitii & ostentandi ingenii causa conscripsisse, vid Bodin.* lib. 2. de Republ. c. 1.

b) *Vtpote in quibus multa iustitiæ parum congrua & ordini politico violenter adversa.*

III.

Respublica vero à re, hoc est imperio publico dicta *a*) à nemine uti par erat, definita est, & ne à Bodino quidem, qui solertior hac in re plerisque, eam definit Familiarum, rerumque inter ipsas communium summa potestate ac ratione multitudinem moderatam *b*.

a) *Rei quidem significatio varia est, Arunt Cels. Iss.* Or. g. cap. 25. tit. Inst. de Rer. divis. & de Reb. corp. & incorp. text. & Dd. in l. res de V. S. *Sed imperium designat appositè Hinc istud*

I *Impe-*

Imperium, litem, Venerem cur una notat Re.

b) l. de Republ. c. 1. *secutus Aristotelem* lib. 3. Polit c. 6. *Convenit enim id cuicunque corpori quod modo vel inter cetera pareat imperio alicui supremo.*

IV.

Nos igitur ut eam accuratius describamus, illud monemus, homonymiam in hac voce esse, cum & Respublica modo dicatur quodvis legitimum imperium *a*) modo Status popularis aut Optimatum, ad differentiam Regii aut Principalis *b*.

a) *Arist. Xenoph. Bodin. Machiavell. & alij. Sic Cicero metuens in urbe dominatum ait*; Hoc bello quam Rempublicam simus habituri nescio, victis certe nulla unquam erit, ad Att. *& Festus ex Caio Graccho*, Et nationes per avaritiam atque stultitiam Respublicas suas amiserunt: *uti & Aristoteles quandoque πολιτείαν dixit* lib. 4. Polit. c. 8

V.

In Significatu igitur priore definimus eam, Vniversitatem *a*) cuiuscunque totius *b*) legitimæ civitatis *c*) uno imperio contentæ *d*.

a) *Hæc vox cum & cœtui cuicunque universali congetat, ut pago, collegio &c. nobis hoc loco pro genere sit; vid. text. & Dd.* in l. 7. § fin. & l. 8. Qu. cuiusq; univers. nom. & in §. universitatis, Instit. de rer. divis.

b) *ad differentiam tribuum & corporum quæ plerumque in ea.*

c) ci-

c) *civitas enim ipsa civium composita multitudo est, Non. Marc.*

d) *vid.* th. seq.

VI.

Num igitur civitas, in quam diversis principibus imperium ac potestas regionibus sit divisa *a*) Respublica una censeatur? & hoc dicendum non est, *b*) nisi uni aut alteri in oppidum vicinum potestas eiusmodi competat iure quasi servitutis aut magistratus *d*.

a) *Quod Coloniæ Vbiorum deprehenditur, ubi non magistratui tantum urbano, sed & Electori & Comiti Niuvvenario in certam urbis partem aliqua iurisdictio est.*

b) *arg. definitionis propositæ.*

c) *Cum hæc res tantum in usurpationem iurisdictionis cadat, in civitate alterius, cui conservandæ & actiones confessoria & negatoria utiles sunt,* Bal. in Rub. C. de V. F. *Dd.* in §. æque. Instit. de Act.

d) *Quod in urbe Brounsuicensi est, ubi quatuor magistratuum Curiæ iurisdictionem exercent, imperium tamen superius Reipublicæ totius unum est, S.P.Q.*

VII.

Quod si diversis principibus in distinctas urbis aut regionis unius partes competat principatus *a*) magis dicimus diversas civitates esse, *b*) ut & vice versa, civitatem unam esse, quæ diversis oppidis, pagis, arcibus, vicis, uno & eodem teneatur principatu.

a) *Quod videre est Traiecti ad Mosam, cuius principatus divisus est inter principem Leodiensem & Brabantiæ Ducem. Qui tamen uterque vasallus imperii est.*

b) *Cum imperium unum diversorum principatuum non sit magis quam dominium duorum in solidum, fac. Boer.* in tract. de cult. clau. n. 67. *Hott.* in quæst. Illust. c. 20.

c) *Sic Basileensis, Genevensis, Confluentina, Civitates divisis licet mœnibus, civitatem singulæ constituunt eandem.*

VIII.

Respublica igitur Romana è diversis nationibus composita, & præsidibus diversis in partibus administrata, una tamen tantum fuit *a*) multoque magis Veneta diversis magistratuum consiliis domi & foris administrata *b*.

a) *At obstat quod Antoninus demum subditos orbis Romani omnes in cives adlegerit,* l. 17. de stat. hom. *Unde & Provinciales fere alterius Reipublicæ fuisse oportuit. Sed civis vocabulum modo angustius quam alias ponitur, vide* thes. 17. 18. 19. infr. & disp. seq. thes. 13. & 14. *Solutionem pete* ex thesi 19. infr.

b) *Consilia enim ibi præter Corpus Senatus & Optimatum quatuor sunt, unum Sapientum, quod Marinum dicunt (cui compares Collegia Admiralitatum Belgicæ-Unitæ) alterum quod ea quæ terræ gerenda procurat (cui compares Senatum Belgicæ Ordinum) & præter ea Consilia Decemvirorum ac septemvirorum vide Bodin.* 3. de Republ. c. 1.

IX.

IX.

E diverso fœdus Achivorum, Ætolorum, Regionum Belgicæ Unitæ; Pagorum Helveticorum, Urbium Balticarum, non nisi errore populari unam eandemque Rempublicam dicas.

Singulæ enim earum tuentur imperium proprium, & corpora legatorum, quæ ab illis, id usque adeo non habent, ut nil nisi ex mandato principum agant.

X.

Quibus vero notis legitima civitas dinoscatur a cœtu prædonum *a*) Piratarum *b*) Seditiosorum *c*) minus expeditum est, adeoque fere consistit in facto *d*.

a) *In quos omnia insurgunt iura*, l. 1. Qu. lic. ses. sine iud. vind. *vid. Gail.* in Constit. de pac. publ. *Georg. Rem.* in Nemes. Carol. c. 137.

b) *Hi sunt prædones Navales, qui non absurdo inter se ordine ac imperio, infesta sæpe Maria reddidere, & quidem non sine periculo Rerumpublicarum*, *Plut.* in Pomp. *Suet.* in vitis Impp. *Bod.* l: b. 1. de Republ. c. 1. p. 2.

d) *Cum id vix regula certa possit definiri.*

XI.

Nam si eam mœnibus metiamur *a*) aut finibus agrorum *b*) Athenienfibus cum se classi marinæ crederent *c*) S.P.Q.R. urbe ob adventum Cæsaris deserta *d*) Coloniis item priusquam

quam fixerint sedes, civitatem negamus; Quod tamen omne absurdum est.

a) *Rectè enim Bald. urbem non constare in Lapidibus & muris.*

b) *Sunt enim hi quidem causa iurisdictionis aut imperij distinguendi, non tamen Rempublicam efficiunt. Cum & sint sine populo.*

c) *Ex consulto scilicet damonis Delphici cum responsum tulissent, civitatem tutam à periculo belli Persici fore mœnibus ligneis.*

d) *Quo sensu Pompeius ea tempestate, Rempublicam aiebat non in parietibus constare.* Dio.

XII.

Perinde si eam metiamur imperio & institutis rite compositis *a*) subinde piratarum & seditiosorum militum copiis *b*) civitatem convenire dicemus, quod ipsum nec minus erit absurdum *c*.

a) *Vid.* thes. seq.

b) *Qui vel severissimis interdum se imperiis alligant, ut his annis de militibus Ducis Brabantiæ compertum est sæpe.*

c) *Cum eorum finis modo sit, famem libidinis explere, idque cum periculo & damno Reipublicæ.*

XIII.

Nota igitur ista sit, Imperium bonis institutis *a*) ad vindicandum cives omnes ac singulos à vi atque iniuriis *b*) societatemque Civilem inter ipsos conservandam *c*) compositum.

a) *Bona tamen sunt & quæ non optima, imo & in qui-*

bus interdum mala, modo summa eorum contendat conservandæ Civitatis fini.

b) *Tam publicis quæ ab hostibus aut prædonum copiis, quam privatis, quæ à singulis inferuntur* Ex quo principio sunt illa nonnullarum civitatum *statuta, quibus cavetur, cives alibi iniuria affectos publica authoritate defendendos, Daventria & Zuollæ inferioris Germaniæ populis.*

a) *Inde ista descriptiones, quibus Respublica dicitur hominum cœtus bene beateque vivendi causa constitutus.* Cic. & Arist. in Pol. *& illa legum ceterarum dia moderatrix:* Salus populi Suprema Lex esto Cic. de LL. & rursus de Fin. lib. 5. *Quo scilicet commodum omnium præferatur singulorum adeoque Principis ipsius,* l. un. §. hæc autem. pen. C. de cad. toll. *Cuius nimirum proprium munus est pro salute omnium cogitare,* Plin. in Paneg. Trai. *Regie proinde Hadrianus;* ita se Rempublicam gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam.

XIV.

Quibus consequens est, eundem finem civitatis esse, qui sit civis (id est, ut civitate tuti ab iniuriis fruamur) non qui hominis *a*) contra quam Bodinus scripsit *b*.

a) *Alioquin enim & idem finis servi & civis fuerit. Cum tamen illius conditio à civis conditione adeo differat, ut eum in plerisque pro mortuo censeamus,* l. antep. de R. I. *Quod & cæterorum populorum moribus convenit,* Arist. in Polit.

b) lib. 1. de Rep. c. 1.

XV.

Igitur profugis Troianis *a*) Pastoribus Alba-

nis *b*) Imperio Cæsaris Burgiæ *c*) Mahometanorum ac Saracenorum Principiis, Gothorum, Hunnorum, Wandalorum copiis, etiam ante confirmata imperia ac sedes Rempublicam ac civitatem fuisse putamus *d*.

a) *Ænea duce vagis*,

b) *Roma conditoribus*,

c) *Alexandri VI. filii hominis omnium sceleratissimi & perditissimi. Quem Machiavellus in Politicis, Principibus ironice proponit etiandum.*

d) *Cum omnium horum finis fuerit, universitatem cœtus ... vel constituere vel conservare & agere more ceterorum imperiorum. Unde & cum iis à principibus ac populis iura belli contracta & servata sunt. Quod vix factum esset, si eos censuissent latrones*, arg. l. hostes 118. de V. S. Bod. lib. 1. de Rep. c. 6. *Vide tamen eundem* lib. 5. c. 6.

XVI.

E diverso non copiis Spartaci *a*) coniuratis Catilinæ, imo ne copiis quidem Herculis aut Iuli Cæsaris (dum scil. ei non alia mens, quam consulatum vi asserere) heroum genere, animis, rerum gestarum gloria excellentissimorum, Reipublicæ aut Civitatis nomen convenire putamus *b*.

a) *Gladiatoris qui ingenti servorum agmine tres Exercitus Romanorum fregit*, Plut. in Craſ. Or. lib. 5. c ult.

b) *Quia horum mens non tam constituendæ sibi civitati fuit quam turbandæ Reipublicæ, cum studio gloriæ aut commodi proprii.*

XVI

XVII.

Illud tamen monendum, civitatem & Rempublicam hoc loco, nobis perinde late accipi, licet plerumq; huius significatio quam illius amplior sit.

Proprie civitas ipsorum civium corpus est Urbe contentum Non. & Serv. *Respublica vero universitas totius imperii aut principatus. Quo sensu Tribonian. iuris studiosis, Rempublicam credendam in partibus suis*, §. fin. in proœm. Instit. *item* Fest & Varro ex Gracho, *Forte: Respublicas diversarum civitatum dixere.*

XVIII.

Certe usu admissum est, Rempublicam interdum pro civitate aut municipio particulari dici, *a*) & civitatem vicissim pro republica *b*.

a) l. sed & si. 13 §. 1. de Publ. *& alibi sæpe.*

b) *Ut Cæs. Omnis civitas Helvetica quatuor pagos habet*, lib. 1. comment. fac. Ar. 3. Pol. *Quo sensu & Alexander Magnus, imperium universæ terræ mente complexus, orbem terrarum Civitatem communem, castra vero sua eiusdem arcem, dicebat.* Plut. in Alex. *Eoque allusit* D. Augustin. *unam mundi terreni civitatem dicens*, in lib. de Civit. Dei in princ.

XIX.

Rempublicam omnem respectu imperii duplicem statuimus, Supremam seu Universalem

(quæ Imperio supremo sine alterius recognitione constat) *a*. & Particularem, quæ quidem Ius reipublicæ habet *b*, sed à superiori *c*.

a) *Id est, quæ ius Maiestatis habet, ut Regnum Galliæ, Angliæ, Civitas Veneta,*

b) tot.tit.C.de Iure Reip. *& Respublicæ adeo suæ utcunque summam*, l.municipes 14. D.ad munic. *hoc est Imperium ac Magistratus*, l. 6. de administ.rer.ad civ.

c) *Quales sunt principatus vicarii aut beneficarii & civitates quæ Senatum, Imperium & Iurisdictionem ac Ærarium peculiare habent.*

XX.

Proinde reges Neapoleos, Siciliæ *a*, Bohemiæ *b*, Sardiniæ, Corsicæ *c*, singuli regnum seu rempublicam habent, sed quia ipsi id ius Imperio Romano acceptum ferunt, particularem tantum, non etiam universalem.

a) *Sunt enim utraque hæc Feuda Ecclesiæ Romanæ, quæ maioratum eum usurpat in allodio Divi Petri.*

b) *Quod Feudum Imperii est,*

c) *Hæ enim eiusdem qualitatis sunt, cuius Sicilia & Neapolis.*

XXI.

Idem dicimus de Ducatu quocunq; Electorali & principatibus Germaniæ *a*) ac Italiæ *b*) reliquis itemq; de rebuspublicis utriusque *c*.

a) *Uti Duce Anholdino, Pomerano, Principe Hassiæ & reliquis Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus Imperii istius,*

b) *Vt*

b) *Vt Ducatu Sabaudiæ, Lotaringiæ, Mediolani, Mantua, qui omnes vasalli Imperii sunt. Et libertas eorum omnis vel vicaria est vel privilegiaris, vide* Bodin. lib. 1. de Republic. cap. 10.

c) *ut Lubeca, Norimberga, Augusta,* Luca. *Quippe quæ omnes eam quam prætendunt libertatem iure privilegii usurpant, eoque iure moneta ex* L. *Imperii fruuntur, & ad Cameram Spirensem aut Imperatorem ipsum provocant. Quod posterius fere in quæstionibus Principum & Civitatum Italiæ receptum est. Cum Principes & Civitates Germaniæ fere appellent dictam curiam quæ Spiræ est, supremam.*

XXII.

Idem dicendum de Duce Florentiæ *a*) & Civitate Genuensi *b*.

a) *Semper enim Florentini Imperata Romani principis facere coacti sunt, & privilegia à Rodolpho I. sibi indulta, grandi ære à Maximiliano I. Confirmari petiere. Vti & à Carolo V. Imperatore, parere coacti sunt Duci sibi constituto. Et cum Pius IV. Pontifex Ducem eorum creare in Regem vellet, id pro imperii Maiestate impedivit Maximilianus II. usus oratione ista:* ITALIA NON HABET REGEM NISI CÆSAREM.

b) *Licet enim Cives huius interdum & libertate glorientur: constat tamen eos etiamnum nuper ad tribunal Maximiliani II. in ius vocatos & aliquot sententiis esse condemnatos vid.* Bodin. d. loc.

XXIII.

XXIII.

Ita evenit tandem, neminem in Italia aut Germania supremo Reipublicæ iure gaudere, præter Imperatorem & Ordines Principum ac Civitatum coniunctim; nisi excipias *a*) Senatum Venetorum *b*.

a) *Nam & Rex Hispaniarum in universa Italia (cuius scil. iurisdictio ad ipsum pertinet) vicarius Imperii est. Et perinde Papa Romanus ipse, cum omnia secularia possideat tanquam in alodio Divi Petri, id vero omne dependeat a liberalitate Imperatoris. Nam si ipse quandoque & Imperii Ordines diversæ sententiæ fiant, in dubium vocari queat, An Imperator sine eorum assensu ius Imperii minuere potuerit. In omnem certe eventum quod ad Imperium seculare attinet, quo se Papa iure privato patrimonii Divi Petri gaudere iactat, censeat eum subditum Imperii esse. Vti scilicet est quisque, Iurisdictionem iure patrimonii in regiones, pagos, municipia usurpans.*

b) *Tametsi Dux ille Venetus à Fredrico Barbarossa Imperatore Regia insignia diadematis & sceptri acceperit. Qui tamen ob hoc reprehenditur ab aliis, quod minus prudenter ea in re egerit. Quasi puta vel ipse, vel saltem una cum Senatuum Ordinibus iura maiestatis etiam ante habuerit iure proprio. Certe imperata Principum Imperii Germanici, seu (quod unum idemque) Italici raro aut nunquam iussi fecere. Vt quidem ius suum non immerito possideant quieti.*

XXIV.

XXIV.

Nam si quis Papæ Romano Ius Maiestatis in Imperatorem tribuat *a*, non minus absurde fecerit *b*) quam si Archiepiscopo Pragensi, aut Hafniensi idem iuris tribuat in Daniæ ac Bohemiæ Reges *c*.

a) *Quod Bonifacius Octavus, nequitiæ Papalis author callidissimus, palam iactabat,*

b) *vi.* Constit. Lud. Bavari apud Alber. de Rosate in l. bene à Zenone. C. de Quadr. Præs.

c) *Solent enim Principes à Papa Romano ungi, ut hodie Rex Daniæ à concionatore aulæ, Rex Bohemiæ ab Archiepiscopo Pragensi, indeque superbiæ ipsis arrepta ansa est.*

APHORISMORUM
POLITICORUM
SECTIO II.

DE

Reipublicæ partibus, Civium differentia diversa qualitate & iure.

APHORISMUS I.

REIPUBLICÆ partes sunt Civium ipsorum corpus, quod fere Civitas *a)* & medium eius constituendæ ac conservandæ, quod fere status nuncupatur *b.*

a) Non. Serv. Isid.
b) *De quo* in disput. 4. & 5. infr. h. tt.

II.

In civitate consideramus primo civium qualitatem & differentiam, *a)* dein familias & privatos civium cœtus *b.*

a) *Vt nimirum res Politica generatim in omnib. suis partibus intelligatur*
b) *Sunt enim familiæ Reipub. seminaria, vi.* inf. Disp. 3.

III. Ci-

III.

Civis igitur nobis est homo liber summo Reipubl. alicuius imperio subiectus, *a*) atqui alteri imperio supremo paret ab hoc diverso, idem huic peregrinus est *b*.

a) Bod lib. 1. de Repub. c 6.

b) *Et hic prisci idem cum hoste*, Var. & Cic. in off. *adeo ut & captus cum bellum non esset fieret servus*, l. 5. §. 1. de capt. & postl. rev. *Sed communi gentium humanitatis usu hodie tantum sunt hostes qui olim per duelles, quibus scilicet publice bellum indictum est*, l. 234. de V. S. *Peregrini igitur nunc simplicius dicuntur exteri.*

IV.

Nisi tamen quis ex populo fœderato sit, *a*) is enim hospes dicitur, vel incola, si adsit nobis solum causa cohabitandi *b*.

a) d. l. 7.

b) l. ult. & tot. tit. C. de Municip. lib. 10.

V.

Civium tamen magnam diversitatem Romanis fuisse, etiam præter Vrbanos, qui plerunque maioribus quam alii privilegiis fruuntur, *a*) arguit locus Plinii, *b*) quo Colonos, Latinos, Municipes, Liberos, Fœderatos omnes distinguit.

a) Alc *post alios* in l. 2. de Verb. Sign.

b) lib. 3. Nat. Hist. c. 1, & 3.

VI. Co-

VI.

Coloni igitur, hoc est, aliis extra urbem sedibus dimissi, alii Romani erant, alii Latini, illi deducti ex civibus Romanis a) aut civitate donati, b) hi ex Latinis, ut Municipia essent suæ cuiusque civitatis c.

a) *Liv. passim.*

b) *Ex præscripto scilicet* S. P. Q. R. *sic Coloniæ Novicomensi civitas adempta, quod Cæsar eam ultra præscriptum dedisset* Suet. in Cæs. *Utrique hi vivebant Romano iure, in nullis ab eo differentes, præterquam in sacris, autor* Ascon.

c) *Sic* Festus *de Bononia, Prænesta & Municipiis alius scripsit, quæ tamen fuere Coloniæ Latinæ.* Vell. & al. i.

VII.

Municipia in specie sic dicta oppida erant in civitatem recepta, ut munera a) & omne ius civium participarent, excepto iure magistratuum & suffragiorum. b) Nonnulla tamen freta quoque eo iure sunt c.

a) *Unde & principio municipes dicti*, l. munus. in fi de Verb. Sign. *Quæ tamen vox postea ad quoscunque alterius oppidi cives relata est*, tot tit. ad Municip. l. 2 & 8. de V. S.

b) Fest. d. lo. *Proprio tamen iure vivebant, nec legi P. R. astricti erant* Gell. lib. 16 c. 13.

c) *Primo quidem Sabini, dein secuti bellis socialibus diversi*, Liv. lib. 8. Pate. c. lib 2. *Fuerunt enim municipia genere triplici.* Fest. d. lo.

VIII

VIII.

Ius Latii & ipsum Latium dictum, aliud antiquum erat aliud novum. *a)* Illud quod priscis imperii terminis finitum, postea missione colonorum auctum fuit. *b)* Sed hoc municipiorum iure minus fuit *c*.

a) Serv. in hunc loc. Virg. *Quis Latio antiquo fuerit status.*

b) Plin lib. 3. c 5.

c) *Quia municipes etiam L. Sacrata freti fuere, ne scilicet de capite civis iniussu populi ageretur (cum ipsius urbis essent cives) quod Latinis non contingebat. Sic enim* Salustius, *Turpilium Vacca in Africa praefectum damnatum capite perhibet, quod civis ex Latio [illegible].*

IX.

Novum est, suffragiorum & magistratuum causa civitatem adipisci.

Pedian. in Pisonianu. *Id enim Latio & Italia universa L. Iulia, finito scilicet bello sociali postremo nove collatum est,* Vell. lib. 2. Gell lib. 4. c. 4. Cic. pro Balbo. *Huc referendi quibus civitas viritim data erat, eo enim respexisse Pedianus videtur cum ait: Latium novum esse, petendi magistratus causa civitatem adipisci.* Ped. d. lo.

X

Sed post legem Iuliam differentia civium quidem omnis in oppidis provinciarum obserua-

servati est *a*) in Italia non ita, præterquã quod iiqui per Latium civitatem adepti sunt, etiam post id tempus, diversi aliquid à Quiritibus in vicesima successionem habuere, *b*) & aliis nonnullis *c*.

a) *Argumento est quod Plinius etiamnum tempore suo eam in oppidis Hispaniæ quam accurate recenset* d.lib.3.cap.1.& 3

b) *Sed hoc tandem à Nerva & Traiano sublatum est.* Plin. Secun. in Paneg.

c) *Vt in excusatione tutelæ,* §.1. Inst. de Excus. Tut. *& similibus.*

XI.

Liberos populos proprie dicimus, qui sui imperii & iuris sunt, *a*) Sed Plinius is oppida libera dicit à tributis in Provinciis immunia *b*.

a) L.7.de Capt. & Postl.

b) *Qualis fuit Cæsarea à Vespasiano tributo [illegible] liberata, quod Titus dein [illegible] tributum soli,* l.ult.§.Divus Vespasianus *de censibus. Vtrumque vero dari [illegible] mus, cum libertas aut immunitas à tributis simpliciter datur,* arg.l.4.de iur. Imm.

XII.

Fœderata oppida Plinius dicit, quæ iure Italico donata sunt, *a*) puta quæ in levatione census, *b*) traditionibus nexu, usucapionibus & similibus eodem iure quo Italia ipsa utuntur.

a) *Per eminentiam enim Italici dicti fœderati sunt, ut* Liv. Vell. Eutrop *sæpe.*

b) *Argu-*

b) *Argumento est, quod leges de civitatibus Iuris Italici fere* ad tit. de censibus *relatæ sunt. vid.* tot. tit. de censib.

XIII.

Consimiliter tamen & Latini interdum Fœderati dicti sunt, *a)* & socii adeo subinde omnes. *b)* Vt & Coloniæ quandoque municipia dicta, & vice versa *c.*

a) *Sic* Tull. pro Balbo; *Latinis, hoc est, Fœderatis dixit.*

b) *Dilato nimirum extra Italiam imperio. Diverso tamen nomine Liberi populi & Reges socii fœderati dicti sunt,* d. l. 7. de capt. & postl. rev. *Tria enim fœderum genera Sigonius ex Livio explicat,* lib. 1. de Antiq. iure Ital.

c) Paterc. lib 1. *& in eum Lipf. notæ,* Fest. *in voce,* municipium.

XIV.

Sed cur Antiochia dicitur Colonia salvis tributis? *a)* aut quomodo Ptolomais inter Palæstinam & Phenicen nihil dicitur habere præter Coloniæ nomen? *b)* nos hoc de Antiochia accipimus ut sit libera, hoc est, à tributis immunis; *c)* de Ptolomaide quod differat à ceteris onere tributi. *d)*

a) L. ult. §. Divus Antoninus, de censib.

b) l. 1. §. 3 eodem.

c) *Quod Plinius probat, diserte eam dicens liberam* lib. 5. c. 21.

d) *Cum n. Colonis fere agri assignarentur, regionum*

in quas deduci solebant, tributis insuper immunes non fuere; nisi id privilegiis obtinuissent. Quo sensu Varro fortasse: Milites stipendiarii dicti ideo, quod stipem pendebant.

XV.

Coloni tamen omnes, Municipes; *a)* donati Latio, *b)* Coloni iuris Italici *c)* Liberi item seu Immunes *d)* etiam Cives dicti fuere. Quod igitur iidem sæpe exteri dicti sunt aut peregrini, ad differentiam Urbanorum factum est, qui pleno iure Quiritium, suffragiorum & magistratuum gaudebant *e.*

a) *Vt apud* Fest. *in voce,* Municipium. *ubi* [illegible] *Præneste & aliæ Coloniæ Muni*[illegible] *inde* Paterculus *diversa Mun*[illegible] *vocat* lib. 1. & 2. & Liv. *Colon*[illegible] *dicit sæpe* lib. 23. 24. 25.

b) *Sic* Salustius: *Turpilium civem e*[illegible] *Lat*[illegible] *dixit.* de bell. Iug. *& Coloniæ compl*[illegible] *dictæ sunt Latinæ.*

c) *Namque oppida Iuris Italici Col*[illegible] *fuere, licet non omnes Coloniæ sint iuris Ita*[illegible]*,* l. 1. princ. de Censib.

d) *Quia & hi Coloni erant ut de Cæ*[illegible]*bus an*[illegible]*tatum est,* l. ult. §. Divus Ve[illegible]sianus eod. t. *& de Antiochiensibus,* d. l. ult. §. Divus Antoninus eod.

e) *Vt in L. Apuleia, quo Mario conc*[illegible] *fuit, ut ternos cives faceret in singulis C*[illegible]*.* Cic. pro Balbo. *Si Consul R*[illegible] *Latinos postulantes admitti* [illegible] *indignabundus exclamat:* Audi[illegible] hæc scelera pere-

peregrinos Consules, peregrinum Senatum in tuo templo. Liv. lib. 8.

XVI.

Minus enim ius habuere Provinciales, *a*) seu stipendiarii, *b*) hoc est, Provinciarum, Urbium ac regionum subditi. Tandem tamen ex constitutione Antonini, omnes in orbe Romano qui fuere, cives effecti sunt. *c*) Sed post eam quoque remansit Latini Iuris umbra in libertate Latina usque ad ætatem Iustiniani *d*.

a) *Ad differentiam Italicorum sic dicti*, Plin. lib. 8. Ep. Italicus es an Provincialis.

b) *A tributo dando ita dicti*, l. ger & ibi Alc. de V. S. *Stipendium quidem est quod militibus datur, tributum quod Reipub.* Tacit. lib. 20. *sed utriusque vocis promiscuus usus est; non primum post ætatem Ulpiani, ut male* Cuiacius 7. Obs. 3. *sed & longe ante. Sic enim* Enn. apud Varr. Pœni stipendia pendunt.

c) l. in orbe. de statu hom l. Rom. ad Municip.

d) l. un. C. de Lat. lib. toll. *& ibi* Cuiac. in Par. *Item postea etiam in onere Tutelæ*, §. 1. Inst. de Excus. Tut.

XVII.

Ante Antoninum igitur Cives Romani κατ' ἐξοχὴν dicti civitatis Domini, quique ea viritim fuere donati *a*.) Provinciales tamen & ampliori civium nomine venisse putamus *b*.) Si enim civitatem finias suffragiis & honoribus, *c*) omnes inopes minoris conditionis ea privabis *d*.

a) *Vt constat de D Paulo ad Cæsarem remisso, quod civis Rom. esset,* in Act. Apost. & ex Pli. Sec. *qui Troiano scripsit, annotasse se Christianos Cives in Vrbe remittendos.* Plin. lib. 10 Ep.

b) *Quia Civium ipsis definitio convenit, & Imperio, Legibus, Magistratibus Romanus sunt usi, & instar ipsius Vrbis ab omni bello & iniuria defensi.*

c) *Igitur quod alii eam ita finiunt, ad cives quidem Romanos pertinet per eminentiam sic dictos, non vero ad cuiusque Reipubl. Cives.*

d) *Qui tamen maxima civitatis pars sunt, seu ut* Plato *&* Arist. *materies.*

XVIII.

Cives vero fiunt nativitate, *a*) manumissione, *b*) nuptiis, *c*) adoptione, *d*) cooptatione. Sed qui cooptantur tantum causa honoris, ut Hercules & Alexander Corintho, *e*) Demetrius Athenis, *f*) Ludowicus XI. Galliæ Rex Helvetiis, cives modo imaginarii sunt, non veri *g*.)

a) *Vel utroque vel altero parente tantum, idque pro more cuiusque loci.*

b) l. 2 C. de Municip. lib. 10. l. 7. C. de Incol lib. 10.

c) *Sic mariti civitatem sequitur uxor.* l. 13. C. de Dign. lib. 12. *sed & quod moribus aliquot locorum obtinet ut maritus domicilium transferens ad uxorem eiusdem quoq; civitatis fiat, non sine ratione est*, arg. l. si in patria 5. C. de Incol.

d) l. cives C. de incol.

e) Sen. lib. 1. de Benef. c. 13.

f) Plut. in Demetr.

g) *Et igitur cives tantum æquivoce dicti,*

XIX.

XIX.

Generali civium differentia dicuntur alii Nobiles *a*) alii Plebeii *b*.

a) *A noto, hoc est, omnibus conspicuo, dicti, pro quo & noble veteres dixere.* Fest. Varr.

b) *A plebe dicti etymologia manifesta.*

XX.

Nobilitatem vero vulgus fere vetustis divitiis finit, *a*) sed prudens aut genere pariter honestate & divitiis conspicuo, aut meritis *b*.

a) *Quippe quod communi quodam errore divitias honorat.*

b) Arist. a lib de Nob. apud Stob. serm. 84. Plut. in lib. contra Nob.

XXI.

Ut scilicet nobilis genere sit qui honorabili genere natus ipse degit honestus; meritis qui virtute aut eruditione illustris est.

Sen. lib. 2. Contr. 6. Boet. de cons. Phil. 3. pros. 6. Iuvenal. Sat. 6 Hor lib. 4. Od. 4.

XXII.

Opulentia vero additur nobilitati generis, tum propter opinionem vulgi, tum quia ea facilius tuemur vitam honestam, *a*) Proinde illa quæ meritis paratur altera (si modo hæc sit sola) illustrior est *b*.

a) *Ad propriam n. qualitatē huius rei non pertinent,*

quod & infamibus sint communes, quibus tamen omnis dignitas praeclusa est, l. neque 2. C. de Dign. lib.12. *Vti & Camillus, Æmilius Paulus, Cotta, Scaurus nobiles & pauperes erant*. Plut & Plin. de Vir. Illustrib.

b) Arist. Sen. Hor. dd. locis.

XXIII.

Vnde quæsitum est, si genere nobilis & unus virtute aut doctrina præstet, *a*) Plebeius vero perinde, *b*) uter alteri sit præferendus, illum honorabiliorem, *c*) hunc laudabiliorem putamus *d*.

a) *Hic enim nova dignitate auget genus*, Bal. in l. nemini 11. C. de Advoc. Div. Iudicior um.

b) *Iste enim meritis propriis emersit, & idcirco videbatur praeferendus*, Barbat l. b. 2 consl. 17.

c) *Sed quia hic auxit gloriam maiorum meritis suis praeferendus alteri erit*. d. l. 11. & ibi Bal. Tiraq. de Nob. c 5.

d) *Cum sua solius se exseruerit virtute*. c. nunquam. §. fin. dist. 56. Panor. in c. de multa ex. de præb. & dign.

XXIV.

At quia Consul, Prætor & consimiles magistratus Romæ nobiles erant; *a*) quæritur, An qui nec genere nec meritis talis factus, revera nobilis fuerit, quod magis est *b*.

a) *Quippe meritis fere vel genere ad dignitatem provecti*.

b) *Princeps enim vel populus etiam nobiles immeritos facit*, arg. l. Barbarius de Off. Præt. Rainal. in 12.

In 12. de Nob. in 3. q. 4. *Licet hoc modo dignitates dedecoret.*

XXV.

Nisi tamen quis per errorem legeretur eius conditionis, ut eiusmodi dignitate non posset fungi.

Quod accidit in persona Barbarii Philippi, qui cum servus fugitivus esset, Romæ præturam adeptus est, d. l Barbarius. de Off. Præt. Suid. in voce Barbarius. vi. D. Lycklama lib. 1. Memb. cap. 6.

XXVI.

Equites Romani non nobiles sed plebei erant, & primo ad munus iudicandi lecti, iudicum, *a*) dein à Cic. Cos. Equestris ordinis honore separati, sedes in 14. Ordinibus theatrorum seorsim acceperunt à plebe; *b*) idque non genere aut meritis, sed solo censu *c*.

a) *Quod l. Sempronia factum est*, App. lib. 1. de Bell. Civ. Vell. lib. 2.

b) Plin. lib. 33. c. 1. *in fine.* Tac. lib. 12. Florus *tamen perhibet hoc plebiscito factum* lib. 59. Epit.

c) *Habuerunt enim nomen quod equis merebant, & à celeribus originem trahebant, quos Romulus instituerat* vi. Liv.

XXVII.

Is tamen quia erat amplissimus, *a*) adeoque,

 quia

quia Senatus ex hoc ordine tandem ſuppletus, Magiſtratus item ut ex Senatu lecti : difficilius ei comparemus ordines nobilium noſtrorum, hoc eſt, regionum & urbium maiorum optimates, *b*) aut etiam equites à Principibus creatos *c*. Qui tamen hodie fere nobiles ſunt *d*.

a) *Erat enim quadringentorum millium H. S.* Hor. 1. Epiſt. Plin. lib. 33. c. 2.

b) *Nam quod regionum optimates equeſtris ordinis vulgo dicuntur, id inde quod plerique maiores ipſorum pro more habuere, ut principibus vel pueri eorum miniſterio, vel viri conſilio aut armis ſervirent & idcirco plerunque eo ordine tanquam dignitate aliqua ſolent honorari. Sed ea hodie dignitas tantum perſonalis eſt.*

c) *Quippe qui & à Ducibus creari ſolent*, vi. hiſt. Gelriæ & Hollandiæ. *Nec horum liberi unquam iure nativitatis equites audiunt, niſi errore populari.*

d) *Cum competat eis definitio nobilium vel meritis vel genere. Sane iam olim diſtincti à plebeis fuere.* l. ult. ad Municip.

XXVIII.

Civitas amittitur perditione libertatis *a*) deportatione, aquæve & ignis interdictione, *b*) migratione & acquiſitione civitatis alterius *c*.

a) *Quæ maxima capitis minutio.*

b) *Quæ media capitis minutio,* tit. de Cap. Dim.

c) *Sed hic ſi in Provincia civis fieret, redeundo poſtea in urbem, civitatem re[illegible] p[illegible]ſtliminio potuiſſet. Nam ut in univerſum civitatem*

perd-

p[illegible]ret, aqua et & igni interdictum fuisse o-p[illegible]uit. Cic. pro Balbo.

XXIX.

Nobilitas vero finitur vita infami, *a)* In utraque tamen hac re tribuendum aliquid moribus est sive civitatum, sive populorum vicinorum *b.*

a) Sen. lib. 2. contr. c. 6. Boet. de consol. Phil. 3. pros. 6. Plat. in lib. de Nobilit.

b) *In republ. nimirum primum fundanda, cum probabile fere sit, populos quosque moribus uti pro regionum ac aeris temperie minus peregrinis.*

APHO-

Aphorismorum Politicorum Sectio III.

De *Iure Familiarum, Clientelæ, Feudorum, Collegiorum.*

Aphorismus I.

Explicata civium differentia & qualitate sequitur nunc de iure familiæ, *a*) clientelæ, *b*) collegiorum, *c*) & de cuiusque in iis iure ac potestate.

a) *Sunt enim familiæ seminaria rerumpublicarum,* Cic. 1. de Offic. *Ex quo principio sunt privilegia dotium*, l. 1. Sol. Matr. *munus tutelæ ideirco Publicum dictum*, §. 1. Inst. de excus. Tut. & Civile, in l. si duas [illegible] tutela D. eod. *solennitas condendi testamenti*, [illegible] qui test. fac. poss. *& similia.*

b) *Quia hæ quoque familiarum quasi connexa sunt.*

c) *Privatorum scilicet quæ a statu Reipublicæ non directo dependent*, tot. tit. de Coll. & Corp. ff.

II.

Et quidem Imperium familiare in terris omnium primum fuit.

Arg. [illegible] Sacra Litera, [illegible] Ioseph[illegible] & aliorum qui initia mundi enarrant. Sed & Leo Apher author est, etiamnum in recessibus Aphrica deprehendi nationes, non aliis quam parentum aut proximorum imperiis assuetas. in descrip. Aphr.

III.

Vnde quidem Salustius parum apposite idem perhibet de Imperio Regio, *a*) & Tribonianus, *b*) nulli populo tantam patrum in liberos receptam potestatem putat, quantam Romanis.

a) De Bel. Iug.

b) *Se[illegible]tius tamen, ut apparet [illegible] authore[illegible] ut* in l. 3. de h. s qui sui vel al. Iur. sunt. *[illegible] ris ab antiquitate, q[illegible] remotio[illegible] [illegible] pro [illegible]*

IV.

Familiæ autem significatio alias quidem varia, *a*) hic nihil aliud est, quam corpus personarum quæ sub unius patrisfamilias privata *b*) sunt potestate *c*.

a) *Modò enim pro hereditate accepta*, tit. Fam. Erc. *modo pro iure, quod est inter patronum & libertos, modo pro tota aliqua agnatione, [illegible] pro famulitio unius domini*, vi. tex. & DD. in l. pronunciatio. 195. § familiæ. de V. Sign.

b) *Hanc vocem addimus, quod & Respublica Princeps plerumq; familiam maximam habeat, ut sc. inter istam & Rempublicam differentia sit.*

c) Tex.

c) *Tex.* in d.l. familiæ. §. familiæ. *Quo sensu* [illegible] lib. 8. *Servis Respublica quædam & quasi c[illegible] vitas domus est.*

V.

Princeps seu paterfamilias ipse interim familiæ membrum est. *a)* Et licet feminarum liberi in familia earum non sint, *b)* usu tamen receptum est rem prope ita censeri, *c)* donec matrimonio aut habitatione separata, propriam constituant sibi *d*.

a) L. Familiæ 196. de V.S.

b) d.l. 196. §. 1. *Cum patre mortuo iure civili singuli filii singulas familias constituant.*

c) *Non quod maneat familia proprie dicta, sed societas tantum ex ea superstes, quo sensu puta & vidua superstes materfamilias vocatur,* l. pronuntiatum. 46. §. 1. de V. Sign.

d) *Familia vero separatio moribus usque adeo familiam singularem constituit, ut ea fere pro emancipatione solenni sit.*

VI.

Non tamen in eam rem necessaria ipsis familia est. Cum & paterfamilias dicatur homo liber suæ potestatis, licet non habeat familiam, idque iuris respectu.

d. l. familiæ. *Quod sufficiat quem eius conditionis esse ut habere eam possit.*

VII.

Denique actu ipso familiam constituet paterfa-

terfamilias duabus personis domesticis, sive liberis sive servis sociatus.

Arg. sit, quod familia dicitur universitas, d. l. pronunciatio. §. familiæ de V. S. *Hæc vero adeo perficitur personis tribus, ut & tres collegium faciant*, l. Neratius. eod. tit. *& facilius igitur familiam. Diss.* Bod. *personas in eam quinque requirens.* lib. 1. de Republ. c. 2.

VIII.

Igitur maritus & uxor vel una prole, vel famulo aut servo integram familiam constituunt. *a*) Licet interim familia utcunque maxima tantum una sit *b*.

a) *Nam & personas conductitias in hanc rem sufficere usus docet, cum & familiam habere quis hodie possit, nullam prolem ac ne quidem uxorem habens. Interim id quoque rationem in iure habet*, arg. l. perspiciendum, 11. §. 1. de Poen. *cum simil.*

b) *Marcus enim Crassus maximæ familiæ non princeps iure publico sed pater iure privato fuit. Idem de familiis patriarcharum iudicium est, & familia Tuberonis. Unde fit ut familia interdum republica aliqua maior sit.* Plut. in Æmil.

IX.

Videamus de iure mutuo quod est inter parentes & liberos. Patria igitur potestas Iure Romano tanta fuit, ut comprehenderit inprimis bona per liberos quæsita, dein ius quoque in personas, *a*) eorum ipsas, *b*) vitæ ac necis *c*.

a) Tit. per quas pers. nob. acq. *Quod ius tamen primum in bonis liberorũ castrensibus, dein quasi in adventitiis minutum est.* tot. tit. C de bon quæ lib. & de bon. mater.

b) *Cum parentes ex Iure Quiritium quasi domini ipsorum essent*, arg l. . . §. 1 : de rei vind & tot. tit. de lib. exh. *Unde in nonnullis emancipationibus vetustis & manumissionum quadam solennia recepta erant*

c) l. in *suis*. de lib. & posth. hær.

X.

An vero ius vitæ & necis tuto patri in bene constituta republica sit permittendum ? non putamus.

Quia summi periculi res est, cuique ius vitæ & necis permitti. Quæ ratio facit ut postea q[illegible] Legibus publicorum iudiciorum in h[illegible] provisum, l.un. C. de his qui par. vel lib. occ. dist. Bod. lib. 1 de Rep. c 4. *Laud[illegible] ea statuta, & eas consuetudines put[illegible], quibus parentum querelæ de liberorum [illegible] gra[illegible]mi ponderis censentur*

XI.

Reverentia vero quam liberi parentibus debent, tanta est, ut in omnibus rebus licitis & adiaphoris *a*) etiam, iisdem parere cog[illegible]ntur, non tamen in illicitis *b*,

a) *Huc pertinent præcepta Divina de obedientia parentibus præstanda. Vt. & eleganter* Cicer. in Offic.

b) *Aut ratione naturali in[illegible]*

XII.

XII.

In permissis etiam rectius dicimus, non licere liberis, prætextu publicæ licentiæ parentes violare, ipsisve iniuriam facere, multoque minus reipublicæ hostes, si id formidare queant, occidere.

Arg. l. si adulterium. 38. §. liberto. Ad. L. Iul. de Adult. *Pietas enim eis debetur*, l. pen. de obs. patri præst. *etiam exulibus*, l. mutus. 73. §. manente. de Iure Dot. *& impiis legum contemptoribus*, Novell. 12. c. 2. in fine. *Idque recte* Dinus *probavit, Diss. absurdissime* Bart. in d. l. si adulterium § si liberto, *sed ingenue fassus, se non videre quibus argumentis. Seq. eum* Sal. in l. 1. C. de his qui par. vel lib. occ.

XIII.

Recte proinde Bodinus Decretum Senatus Veneti, velut impium, carpit, quo deportatus (bannitum dicunt) civitati, familiæ, bonis & famæ restitutus est, quod patri eadem pœna damnato caput amputasset.

Id nimirum præmii deportatis propositum erat, qui alterum simili pœna damnatum capite truncasset. Bod. d. lib. 1. de Republ. c. 4.

XIV.

Num vero filio permittendum sit, patri ipsi iniuriam inferenti, resistere aut iniuriam propulsare? non putamus.

Fuga potius consulet sibi, vt exemplo Alexandri Magni docemur, qui petitus à patre stricto gladio, non restitit, sed aufugit. Plut. in Alex. *Quin & alias retorquere liberis iniurias liceat adversus pietatem.* Bod. d. lo.

XV.

Ne tamen tanta parentum authoritas quandoque dignitati ac splendóri publico obesset, iam olim *a)* quoque cum ne quidem dignitates maiores patriam potestatem solueret *b)* cautum fuit, vt publicæ cederet hæc privata *c*.

a) L. 13. §. fin. l. nam quod. 14. ad S C. Trebell.
b) §. filiusfamilias. & ibi DD. Inst. quibus mod. patr. pot. Sol.
c) *Quo sensu Fabius Gurges laudatur, quod Patrem ad se venientem equo descendere iusserit. Ad quem pater, perge, ait, fili ista virtute consularem dignitatem tueri. Sed postea etiam ipsa patria potestas pleris que honorum functionibus perempta est*, l. ult. C. de Decur. lib. 10.

XVI.

Proxima isti potestas mariti in vxorem est, sed illa minor. Cum inter coniuges naturali quadam ratione communio vitæ & familiæ, indeque & maior æqualitas sit.

Olim etiam potestas hæc maior fuit. Halicar. lib. 2. Cæsar. lib. 6. de Bell. Gall. 34 *&* Bod. d. lib. 1. c. 4. *Sed paulatim eadem minui bona ratione cepit, cum vxor ipsa materfamilias sit, vt ille paterfamilias.* l. pronunciatum 46. §. 1. de V. Sign.

XVII.

XVII.

Nec potest maritus aliud hodie quam animadvertere in eam leniter. *a*) Delicta enim graviora relinquenda magistratui sunt, *b*) idque reipublicæ tutissimum putamus *c*.

a) Gl. in l. 5. §. fin. Ad L. Aq. c. duo. 23. q. 4.
b) *Vi. tamen tex. & DD.* in Nov. 117. c. 4.
c) *Idque ex ratione quam addidimus* thesi 10.

XVIII.

Tertia potestatis species est in servos, quorum alii in dominio nostro sunt, *a*) alii conductitii *b*.

a) *Quæ & ius vitæ ac necis olim continuit, sed Constitutionibus Principum mitigata est, vi.* tit. Inst. de iis qui sui vel al. iur. sunt. *Recte vero, licet enim dominus & servus relata sint, non tamen dominus familias sed pater appellatur.*

b) *In quos id modo iuris habemus, quod corrigere eos liceat modeste,* l. 5. §. fi. ad L. Aq.

XIX.

Propriorum vero servorum vsum in Republica bene constituta non putamus ferendum,

Cum quod historiæ plenæ bellorum servilium sint, quæ summum sæpe civitatibus periculum, (Romanæ Historiæ passim) interdum & eversionem pepererc? Vt Tyriis accidit à servis erectis, Iust.

lib. 18. *& Scytis ex Media redeuntibus à [illegible] repulsis, Herod.* lib. 3. *& Novogradensibus ab expugnatione Corssi, Sigism. Baro* in Histor. *Moscov.*

XX.

Sequitur de Clientela. Et huius significatio alias latior, designat omne ius quo alter alterius defensioni, & is vicissim mutua obsequii relatione tenetur.

Sic vasallus domino, subditus Principi, cliens advocato, libertus patrono, fœderatus Populus aut Princeps digniori aut potentiori tenetur. Bud. in not prior. ad Pand. *DD.* in l. 1. C. Vt nemo ad suum Patr. lib. 11.

XXI.

In proposito vero ius istud est, quo Senatores Romani plebeiis patrocinio, *a*) & hi vicissim ipsis mutuis officiorum quasi obsequiis tenebantur *b*.

a) *Conservato interim utrique suo iure libertatis*, l. [illegible] §. pen. de capt & postl. *Interdum tamen comparantur libertis, ut* in l. 5. §. 1. de his qui deiec vel eff.

b) *Vi Dion. Halic.* lib. 1. *Gell.* lib. 5. c. 13. *Plutarch.* in Rom.

XXII.

Estque id Romæ prius à Romulo institutum ut tenuiores à patriciis auctoritate & consilio adversus iniurias potentiorum tuti essent.

a) Si-

a) Sique ea intentione conservetur, Reipublicæ summe utile putamus *b*.

a) *Halic.* d. lo.

b) *Cum scilicet id inter optimates & plebeios concordiam & insignem necessitudinem alat, adeoque pariat magnam civitatis securitatem.*

XXIII.

Id tamen quod postea invaluit, ut splendidiores Senatores quandoque singuli integras Provincias clientelæ susciperent, *a*) minus tutum putamus *b*.

a) *Qualem Cicero Siciliæ habuit, Cic.* ad Attic. lib. 14. *alii alias.*

b) *Quod inde aucta potentia singulorum Reipublicæ periculosa sit. Idque tandem à principibus animadversum* [illegible], l. 1. & 2. C. ut nemo ad su. patr. susc. rust. lib. 11. *Licet enim eæ tantum prohibere pensionem videantur patronis præstandam, id tamen eo pertinet, ne continuæ & durabiles universarum regionum aut vicorum contrahantur clientelæ.*

XXIV.

Denique isti affine cum ius feudorum sit, num eius usus reipublicæ tutus sit, videamus. *a*) Sed hæc quæstio distincte explicanda est *b*.

a) *Dubium movet, quod id ius Imperio Romano maximum detrimentum attulisse videtur, cum plerique vasalli, in beneficiis suis Principatum invaserint, atque ita Maiestatem prope uni-*

 versi.

versi. Nisi ad Pontificum Rom. continua fraudi adscribas, quæ plurimum authoritatis semper detraxit Imperatoriæ Maiestati.

b) *Vt quidem prædia & arces in feudum tuto conferantur (quo sint, qui exigente occasione sumptibus suis militent) regiones vero integræ parum tuto, arg. eorum quæ* in thes. præc.

XXV.

De Collegiis & corporibus *a*) illud addimus, hæc quidem tuto in republica admitti, sed ea demum ex quibus aliqua vtilitas publica exspectanda *b*.

a) *Promiscue enim usurpantur hæ voces de societatibus corporatorum, quæ passim in ciuitatibus deprehenduntur*, l. 1. quod cui. un. nom.

b) *Qualia sunt collegia opificum. Ex quibus fere duplex ad rempubl. commoditas, prima quidem, ut amicitia inter ciues licitis legibus conseruetur, secundo ut publicæ necessitati per sodales opificiis, quib. deseruiunt, sit prospectum.* l. 1. C. de Suar. lib. 11.

XXVI.

Sed & sodalitia in pagis ac vicis singulis necessitas expressit. Tutius tamen est, ne quidem eorum, aut vllorum corporum societatem admitti, præterquam ex pubica permissione.

L. 3. §. 1. de Coll. & Corp. l. 1. quod cui. un. *Ne scilicet ex his quandoque occasio accidat publicæ seditioni* arg. l. 2. eod. *Quod Coloniæ Vbiorum contigit sæpe.*

XXVII.

XXVII.

Denique nec poteſtas ipſis ſtatuendi de rebus aliis permittenda eſt, quam quæ pertineā̃t ad ſodalitia ipſorum; neve in iis ipſis præiudicent publicæ prohibitioni.

L. ult. eod. *Valent enim ſtatuta eorum inſtar conventionum priuatarum. Nec alia ratione eis ad exemplum reipublicæ, habere arcam, & actorem ſive ſyndicum communem* licet, l. 1. §. 2. quod cui. un. *Licet id quod univerſitati debetur, ſingulis non debeatur, aut ſinguli non debeant, quod univerſitas debet ipſa*, l. ſicut. 7. §. 1. eod. tit.

XXVIII.

Sunt enim inſtar priuatorum, aut certe ſocietatum à pluribus ſimul initarum, adeoq; ſocietates veræ, *a*) ſolius communionis vniuerſalis cauſa Rebuſpublicis comparatæ *b*.

a) l. 1 §. 1. quod cui. un. nom.

b) l. 2. eod. tit. *cum ſim.*

XXIX.

Vnde & reſpectu reipublicæ habito, priuatæ cenſentur; quæque ad ipſa pertinent bona ac iura publica dicuntur non proprie ſed abuſive.

L. bona ciuitatis. 15. de Verb. Sign. *Adeo quidem ut*

 & civi-

& civitates fere privatorum loco habeantur, l. eum qu. 16. de Verb. Sign.

XXX.

Illud interest, quod socii ex contractu societatis proprio aquiescere coguntur legi contractui semel dictæ, *a*) quod in pactionibus collegiorum & universitatum longe diversum est *b*.

a) *Alioquin enim vel uni permissum est pro socio agere,* l. cum duob. 52. §. item l. cum facienda. 69. pro soc. *Vt & non tenetur ex contractu societatis, cui leges eiusdem non servantur,* l. si convenerit. 14 eod. tit.

b) *In decretis enim collegiorum conventionibus prioribus derogat quod commodum decreverit pars maior postremo* l. pen. de decr. ab. ord. fac.

APHORISMORUM

POLITICORUM

SECTIO IV.

DE

Statu reipublicæ & eius generibus; Iure Maiestatis, & Senatus in genere.

APHORISMUS I.

Alteram Reipublicæ partem constituimus eiusdem statum, *a)* qui est quasi conservandæ civitatis instrumentum. Est enim status nihil aliud, quam Constitutio Reipublicæ ipsius *b.*

a) *Vi. supra* disput. 2. thesi. 1.

b) *Hic igitur Græcis πολιτεία, Aristoteli vita, Isocrati anima civitatis dictus.*

II.

In eo considerantur primo constitutio ejusdem interior, quæ consistit in iure maiestatis, à qua dependent Senatus, Magistratus, Curationes & Civium ordo; *a)* dein media externa

eiusdem sustinendæ, vt ærarium, & quæ ad id pertinent publica bona & iura.

a) *De quibus omnibus singulatim agetur* disp. 5 6 7. 8.

b) *De quibus* disp. 9. 10. & seqq. *ut deinceps de Ortu, Incremento, & Occasu rerum publicarum, instar corollarii, una addita, finem imponamus tractatui universo.*

III.

Maiestas est Imperium Reipublicæ summum & absolutum, seu Potestas reipublicæ suprema & Legibus soluta. *a*) Quam idcirco & alio nomine Reipublicæ summam dicimus. *b*) Hanc vero qui habet Princeps est *c*.

a) *Not.* in l. princeps. de LL.

b) *Item summam Rempublicam, Cic. Gell. Salust. Licet summa respublica interdum etiam dicatur pro eiusdem utilitate, ut* in l. 1. §. 20. D. de exerc. act.

c) *Proprie puta. vi. tamen* thes. 2. seqq.

IV.

Non igitur Populi aut Regionis eam magnitudine finimus, sed potestate suprema tantum *a*) Vnde magnæ quoque ditionis Princeps, proprie maiestatem non habet, si pareat maiori *b*.

a) *Alioquin enim Romulo & similibus dynastis minutis neganda maiestas sit. Sed hoc absurde.*

b) *arg. c. 1. de proh. feud. alien. per Lotar. ibi tract. l. in re mandata, C. Mand.*

V. Prin-

V.

Princeps tamen aut Rex, prout eum honoratum superior velit, dicetur recte, & maiestas quædam ei καθ' ὁμωνυμίαν tribui potest.

Sic enim Tetrarchas Latini subinde Reges dixere, & Maiestatis vox interdum maioribus magistratibus tributa est, l. pen. de Iust. & Iure. l. 9. de Iurisd. *vi. D. Bu.* lib. 1 Subtil. cap. 2. *Vt nemo peccet, qui Bohemiæ, Siciliæ, & similes dynastas Reges dicat.*

VI.

Catachresis tamen in hac voce est, prorsus ut glossatores iuris principibus imperii vasallis, & civitatibus liberis Italiæ aut Germaniæ id iuris ascribunt in suis dinastiis quod Imperatori in imperio.

Bart. in l. infamem, num. 14. & 15. de publ. iud. *& alii. Revera enim omne eorum ius tantum vicarium aut beneficiarium est. vi.* sup. Disp. 1. th. 20. 21. & 22.

VII.

Quod vero Bodinus imperatori ipsi vix tribuendam Italiæ & Germaniæ maiestatem putat, sed Ordinibus tantum, errore non caret, cum omnibus iis fruatur, quibus Principes pene omnium gentium iure.

Privilegia enim tribuit, de Bello, Pace, Moneta, Legibus

Legibus Imperii statuit, sed omne hoc [illegible] Principali, id est, Senatus [illegible] Or[illegible] consensu. Quos ipsis quoque in eum [illegible] (contra quam Bodinus autumat) [illegible] solet, aut ut de iis agatur, per le[illegible] Verum tamen est propter Principum & [illegible] tatum Imperii [illegible] ulorum potentiam, Imperatoris ipsius m[illegible] utiorem esse.

VIII.

De Regibus Sueciæ, Poloniæ, Daniæ probabilius dubites: *a*) sed iis quoque convenire censemus iura maiestatis *b*.

a) *Propter magnam Optimatum apud [illegible] authoritatem, quodque Reges nec facile quempiam eorum illis plectere capite possint.*

b) *Authoritatem enim illam habent, ut [illegible] sub Principe Senatus; supplicii vero e[illegible], ut eandem habuere singuli cives Romani*, Lege *Sacrata. Fallitque in eo Bodinus, quod perhibet Reges illos moveri pro arbitrio Ordinum posse. Cum certissimum sit, semel electos non posse removeri, nisi necessaria urgenti causa. Qua sc. vel quosvis Reges moveri statu cogat. Licet Imperium ipsorum morte [illegible].*

IX.

Status Reipublicæ omnis pro principatus diversitate triplex est, aut enim in Monarchiam cadit, aut Aristocratiam, aut Democratiam.

Tacit. Cunctas, *inquit*, nationes & urbes Populus, aut Primores, aut singuli regunt. *vi. Bodin.* lib 2.

lib.2.de Rep.c.1. *Quæ posterior rectè monuit, status cæteros ab aliis relatos summa rei considerata, semper commode ad aliquem horum referri.*

X.

Monarchia est cuius summæ unus præest; estque vel Dominatus, *a*) vel Principatus in specie *b*.

a) *In quo Rex vel Princeps pro arbitrio agit, neminem consulere obligatus. Eiusmodi sunt in Europa Principatus Turcæ, & Magni Moscoviæ Ducis; in Asia Regis Persarum; in Aphrica, America, Peruana Regis Hispanorum.*

b) *In quo scil. graviora quæque Senatui communicantur. Eiusmodi sunt hodie in Europa Monarchiis, præter Turcarum & Moscovitarum omnes.*

XI.

Aristocratia est, in qua rei summa penes Optimates, seu pauciores è populo est; *a*) Democratia in qua eadem est penes populi partem maiorem *b*.

a) *Talis hodie est status Venetus Norimbergensis, Augustanus, Germaniæ civitatum plerarumque.*

b) *Eiusmodi fuit aliquando post Reges exactos status Romanorum. Quæ tamen interdum & Popularis fuit; prout vel Patrum vel Plebis prævaluit authoritas, tandem vero post varias vicissitudines denuo ad Principatum redactus.*

XII. Ex

XII.

Ex quocunque vero ſtatu tyrãnis fit, ſi principes ſpretis legibus ciuitatis & naturæ, ſubditorum perſonis, bonis, aut iure frequenter pro libitu abutantur.

Sed olim tyranni nomen honeſtum fuit, & regibus proprium. Propter abuſum tamen rei tandem factum odioſum; ut & Romanis nomen Regum, Florentinis Signiferorum. vi. Hiſt. Ital.

XIII.

Sed quia ſumma Reip. poteſtas perſpecta eſſe nequit, ni conſtet quæ ſint iura maieſtatis, de his agendum eſt; primumque eorum occurrit legis condendæ & abrogandæ poteſtas.

l. 1. de Conſt. Princ. *ubi not. vi. plura hac de re* in diſp. ſeq. *Et hoc quidem caput reliqua comprehendit, de quibus ipſis videlicet etiam legibus plerumque ſpecialibus ſolet decerni.*

XIV.

Secundum igitur ſit iüs Belli & Pacis; Tertium, Tributa indicendi, Quartum, Monetæ Cudendæ; Quintum, Cõferendi ſummos honores & magiſtratus.

De quibus ſingulis infra ordine. Quantum tamen neceſſarium videbitur pro inſtituti brevitate.

X V.

Alia vero capita Maiestatis non agnoscimus. Nam quod hucà nonnullis ius gladii relatum est, minus recte fit, tametsi id olim ex iis fuerit quæ Principi ipsi erant reservata.

Qualia & alia fuere quæ tamen ad ius maiestatis non pertinuere proprie, ut tutelæ datio, cognitio de suspectis & similia. Quia scilicet eadem non ad magistratus iure officii pertinebant, sed ex permissione singulari ad illos quibus eadem beneficio Principis, Senatus, aut Populi erant permissa, l.1.§.1.de off.eius cui.l.2.&l.4.eod. l.8.de tut.& cur.dat.

X V I.

Recte tamen Azo à Lothario ex sententia Imperatoris Henrici Lutzelburgici victus est quod male contenderet *a)* ius gladii etiam ad magistratus pertinere, quibus id speciali lege concessum erat *b.*

a) *Sub sponsione equi victori adiudicandi.*
b) *Per* d.l.1.§.1 *ubi vi. Bus.*num.2.3.&4. *Dist.post Ant.Vacc. Bronch.* Cont.1.Enant.c.15. *secuti Doctores plerosque.*

X V I I.

Male quoque hucà Bodino refertur ius extremæ prouocationis, *a)* nec melius à Bartolo imperium, quod iure nostro dicitur mixtum *b.*

a) Lib.1.de Rep.c.ult.

b) *Bart.* in d.l.1.de off. eius. *Et multum obscuritatis in sententiis illorum scriptorum peperit confusio imperii & maiestatis. Error inde, quod Imperium Romanum plerunque dictum est pro Republica Romana summa. Vnde illi, & Antiquitatum & Latinitatis ignari (eoque non intelligentes nominis aequivocationem) facile in absurdum acti sunt, nec res diversas distinxerunt.*

XVIII.

Vtraque enim hæc pertinent ad officium magistratus, *a*) qui scilicet legibus est subiectus; *b*) cum maiestas interim eisdem sit soluta *c*.

a) *Provocatio quidem extrema etiam magistratibus inferioribus interdum competit, ut [illegible] sententiis similiter iudicatum de eo [illegible] resit*, l.un. ne lic. in una ead. caus. *& Imperium perinde*, l ult. § fin. *ubi Bus.* de off. eius cui.

b) l. 1. §. 4 ad SC. Turpil. § 1, Inst. de Off. Iud. *& contra [illegible] nihil agat*, l. cum prolatis. de sen. & re iud. *At obstat quod [illegible] temporibus etiam Reges iudiciis occupari solent, vt Bus.* in lib. de Off. Iud. c. 1. *Sed [illegible] non sit ut quid sit proprium maiestatis, cum & Princeps interdum curationes suscipiat, quas tamen id circo non protinus ad maiestatis [illegible] referri oportet.*

c) l. Princeps. de LL. *Licet magistratus etiam quandoque LL. solvantur, sed [illegible] modo ad tempus.*

XIX.

Probabilius Bodinus coretulit *a*) potestatem

tem restituendi adversus sententias magistratus. *b)* Re interim penitus inspecta hoc quoque male. *c)* Dimittere tamen condemnatum eo referas recte. *d.*

a) d. lo.

b) *arg.* tit. C. sent. resc. non posse.

c) *Cum id quoque magistratui maiori officii vigore adsit*, l. 16 §. fin. l. 17 & 18. de Minor. fac. c. pen. ex. de in int. rest.

d) *Sine Medio scilicet aut causa iusta restitutionis. Hoc tamen ad caput 1. pertinet, quia id faciendo deroget legi.*

XX.

Senatus nobis est collegium civium, cui de Rep. summamque eius concernentibus, consulendi statuendique vel seorsim, *a)* vel una cum Principe iure suo authoritas est *b.*

a) *Prout scil. idem principio à Principe vel Populo est institutus.*

b) *Quod in plerisque rebuspublicis frequentius est. Et Princeps Romanus ipse partem Senatus se profitetur*, l. 8. C. de Dign. *ut & vice versa Senatus Principis cēsetur pars*, l. quisquis. in princ. C. Ad L. Iul. Maiest.

XXI.

Non igitur Consilia Principum Secreta, *a)* non Cameram Imperii, *b)* nec ulla adeo collegia Magistratuum, Iudicum, Syndicorum propria loquendi ratione Senatum dicimus *c.*

a) *Quæ consilia aulica vulgo, & plerumque nullam*

 autho-

authoritatem propriam habent, sed nihil iuris praeter id quod Princeps eis mandat vel ordinarie ad ipsius nutum & revocationem, vel pro re nata. Proinde inter Senatum & Consilium tantum pene interest, verbi gratia, quantum inter magistratum & eum cui mandata iurisdictio est. Quia ille iure suo cognoscit ac decernit, hic fere ex magistratus mandato.

b) *Quippe cui de gravioribus tantum litibus iurisdictio est, non etiam deliberandi de Republica summa.*

c) *Nisi tamen (ut interdum fit) & una habeant ius atque authoritatem Senatus.*

XXII.

Sed Collegia Ordinum, eorumve qui in hunc finem lecti, ut consulant reipublicę ipsius summæ, idque sive in republica sive Principatu.

Cuiusmodi est Conventus Principum Imperii Romani, item collegia Ordinum in singulis Belgicæ provinciis. Quorum vicarii sunt legati eorum (quos dicimus deputatos) absentibus tamen hoc est non congregatis illis. Sic & Senatus Daniæ & Poloniæ, loco Ordinum in absentia eorundem esse creditur. Quatenus tamen à Rege & Ordinibus pariter, ipsi cum Principe deliberandi & statuendi est authoritas.

XXIII.

Dominatus igitur Senatum non admittit, a) & quos rerum Domini consiliis adhibent, collegia quidem consiliariorum constituunt, sed authoritatis propriæ nihil habent b.

a) *Nisi*

a) *Nisi Principatus, seu Princeps ac Senatus pariter unius Reipublicæ Dominatum habeat in aliam.*
b) *Vt* disp.seq.

XXIV.

In republica vero Senatus ipse Principatum gerit, adeoque Senatores fere Principes civitatis dicuntur. a) Qui si in dominatum derivetur holigarchia Græcis dicitur b.

a) *Liv. Saluſt. Paterc. Flor. alii paſſim. Vnde & ei collegia interdum alia adiuncta eſſe ſolent, quæ ſc. conſulant ipſi ut Princeps Senatum. vi.* disp.seq. *In Democratia tamen multitudo plerumque per tribus conſuli ſolet, ut collegia ampliora in ariſtocratia.*
b) *Qualis erat Romæ poteſtas Decemvirorum, & poſt triumvirorum; Athenis vero 30. tyrannorum. Quorum omnium imperia tamen mox uti cepta ſunt, concidere.*

XXV.

Vnde & multitudini ipsi in Democratia Principatum tribuimus. Quo sensu in legibus & decretis Romanorum plerumque S.P.Q.R. disertis verbis memorari solet.

Vt ſc. conſtaret non Senatu, non Magiſtratibus etiam, aut coniunctim utriſque, ineſſe Reipublicæ ſummam, ſed populo univerſo, id vero eſt & ſenatui & plebi pariter. fac.§. Lex. Inst. de Iu. Nat. Gen. & Civ. *Dion. Halic.* lib. 2. Antiq. Rom.

XXVI.

Quod tamen de multitudine dicimus, cum modo accipiendum est, ne scilicet promiscue

omnibus ad comitia & suffragia accessus pateat; sed iis demum, qui vel honestate vitæ vel censu vel vtroque in eam rem idonei videntur.

Vi. Bodin. lib. 3. de Rep. c. 8. *Sic enim in Republ. Romana opificia viliora tractantes ne quidem censebantur, Dionys. Halicar.* lib. 2. Hist. *Idque pene semper in omni republica populari observatum, ut scil. evitaretur Ochlocratia, hoc est, gubernatio popularis turbulenta. Vide tamen infrà disp. 6.* in thesib. ultimis.

XXVII.

Senatores denique Romani non in tribubus, cum Populo reliquo suffragia ferebant sed seorsim in Amplissimo ordine quid sibi de re proposita visum, decernebant.

Idque non modo si de iis ageretur quorum cognitio Senatus quasi propria erat, sed & si de Republica à S.P.Q. coniunctim decernendum esset. Dion. Halic. lib. 2. *Vnde apud Liv. passim:* Senatus decrevit, Populus iussit; item ex authoritate Patrum Populus iussit. *Liv.* Lib. 8. dec. 1. *ubi quidem Populus pro Plebe dicitur, cum tamen & propria populi appellatione contineatur Senatus.* §. Lex est. Inst. de I. N. G. & Civ.

XXVIII.

Vt & hodie in Rebuspublicis Popularibus Senatus & Populus, vel collegia ampliora Populi nomine suffragiorum iure freta, seorsim deliberant & statuunt; Plebs item suffragiorum particeps, seorsim.

Idque

Idque & è republica est, cum Ordinis melioris causa, tum ut sua cuique libertas, suumque ius distinctis consiliis constet, & alter alterius suasu ducatur,,

XXIX.

Coronidis loco sit, Senatus Romani Consulta non iure annuo constitisse sed perpetuo, *a*) contra quam Bodinus ratus est, *b*) qui ob hanc sententiā male reprehendit Connanum *c*.

a) *Ea scilicet ingenua mens est,* l. non ambigitur. D. de LL. *in quo responso dubitandi ratio est, quod SC. constante Republica fere à magistratibus quorum annua imperia erant, solent rogari. Sed quia non à rogatione, sed iussione illorum pendet efficacia, recte dicimus, ut: Senatus ipsius, sic etiam decretorum, quæ ab eo sunt, perpetuam authoritatem esse. Alioquin enim & plebiscita, imo & Leges ipsas tantum annuas fuisse dicendum sit. Quo nihil absurdius accidat. Inde & Senatusconsultorum definitio continet vocem constituēdi.* §. Senatusconsultum. Inst. de Iure Nat. Gent. & Civ. (*in quo tamen §. rationem subiunctam de origine Senatusconsultorum non putamus probādam.*) *Eoque sensu &* in l. un. C. de Senatusconf. *Senatui iure suo condendi iuris authoritas tribuitur.*

b) *Bodin.* lib. 1. de Repub. c. ult.

c) lib. 2. Commentar. c. de Senatu.

XXX.

Minoris tamen Senatusconsulta authoritatis quam Leges aut Plebiscita *a*) fuisse ex eo ap-

paret quod magistratus senatorii etiam exsecutionem eorum impedire potuere *b*.

a) *Plebiscita enim, posteaquam id lege singulari sancitum fuit, nulla in re legibus ipsis authoritatem minorem habuere. Idque lege Hortensia effectum est, cum antea patres plebiscitis non obligarentur.* Gell. 15. Noct. Att. *Plin.* 16. Natur. Histor. *Liv.* lib. 3.

b) *de quibus Gell.* 14. Noct. Att. c. 7.

XXXI.

Sed quemadmodum in senatusconsultis constituendis sola patrum authoritas suffecit, ita in ferendis plebiscitis etiam non advocatus fuit Senatus, adeoque tribuni ne quidem referre de iis ad Senatum potuere.

Idem Gell. lib. 15. cap. 27. *Habuisse tamen eum etiam potestatem convocandi Senatus videtur. Cum scilicet idem Gellius alibi ex Varrone referat de Dictatore, Consule, Pretore, Tribuno Plebis, Interrege, Praefecto urbi.*

XXXII.

Ex quibus apparet ante plebiscitorum autoritatem receptam, plebis potestatem seorsim exigui momenti fuisse, adeoque rempublicam ante magis Optimatum authoritate constitisse.

Dionys. Halicarnass. lib. 2. *contra quam Tribonianus sensisse visus est,* in §. Senatusconsulta. Inst. de Iu. Nat. Gent. & Civ.

APHORISMORUM

POLITICORUM SECTIO V.

DE

Officio ac Iure Principis & Senatus, Deque mutua inter utrosque necessitudine & conjunctione.

APHORISMUS. I.

SEd de officio ac Iure Principis, Senatus, Magistratus, & curatorum in singulis quæ ad Rempublicam pertinent, hic & disputationibus sequentibus latius agendum.

Neque enim brevitas unius disputationis admisit, id absolvi.

II.

Princeps igitur Legibus quidem solutus est, quia tamen vel ipse, vel populus *a*) Senatui authoritatem suam communicavit; in gravioribus eum consulere tenetur *b*.

a) *Vel præcessor alterutrius, aut pariter utriusque.*

b) *In omnibus enim non tenetur. Cum & seorsim Legibus derogent privilegiis seu rescriptis, Inducias contrahant; condemnatos, dimittant; Leges condant.* l. 1. de Const. Princ. l. ult. C. de LL.

III.

Nec minuit hoc Maiestatem, *a*) sed auget potius, *b*) & tutiorem reddit, *c*) uti & plerumque exitio est, si id affectatione dominatus, omittatur *d*.

a) *Vt male Bodinus ratus est.*
b) l. humanum. in fi. verb. ad nostram gloriam. C de L L.
c) *Cum eum invidia liberet. Populi enim voces sunt Principem bonum esse, sed seduci ac regi à Senatu. Tolos.* lib. 24 de Rep. c 3 Ardil. c 15.
d) *Id enim Cæsari exitium attulit*, Plut. in Cæs. *id Tarquinio*, Liv. lib. 1. *id Hieronymo Siculo*, Liv. lib. 24.

IV.

Laudatur tamen in Principe, si gravissima prius rite vel secum, vel una cum paucissimis, quos ex Senatu consultum est familiares habere, perpendat; ne scil. res pluribus consiliis protracta vulgetur.

Vt puta dein facili momento propositum suum persuadeat; consiliaque adeo summo plerumque reipubl. bono effectui det. quam de iis pareat cogitatum. Consilia enim optima sunt quæ ignorarit adversarius, Veg. lib. 6. de R. Mil. c. 6. *Qua in re Antigoni Asiæ, Plut. in Demet. Ludovici XI, Galliæ; Comin. Caroli V, Imperatoris*

toris praclara laus fuit. Et Cæsaris etiam, Tranquil. in Cæs.

V.

Senatores ipsos quoque vicissim bono publico studere oportet, sententiasque suas, ratione sui, & *a*) adulatione *b*) seposita, in publicam utilitatem proferre, quæque in Senatu aguntur cælare *c*.

a) *Officit enim ratio privata consiliis publicis plurimum*, Liv. lib. 22.

b) *Recte enim Plinius reprehendit, Senatores Domitiano tanquam ad certamen adulationum convenisse, in Paneg. Ne tamen mobilibus Principum animis facile iræ occasio datur: præstat etiam optima consilia suaderi potius moderate, quam impetu, ut.* Plut. in lib. de disc. adul. & amic.

c) *Optimum enim & tutissimum vinculum rerum administrandarum est silentium.* Val lib. 2.

VI.

* Refert quoque in Senatu Ordinem servari sententiarum, ut scilicet initium fiat ab iis qui necdum gesserunt magistratus.

Ne puta suffragiis horum, qui fere maioris sunt authoritatis, praiudicium imprimatur animis ceterorum. Idque tandem etiam Romæ receptum est, cum antea initium fieri soleret à consulari dignitate, & eo qui lectus erat Princeps Senatus. Gell. lib. 14. c. 7.

VII.

Plane licet disputatione superiore monuerimus, Senatum differre à Curia Iudicum, sciendum tamen est, nihil absurdi in eo fore, si idem collegium & Curiæ munus subeat & Senatus.

Quod fere in principiis plerarumque civitatum obtinuit, ut ex instituto Romuli Romæ; & in Gallia Senatus Parisiensis. Bod. lib. 3. de Rep. capit. 1.

VIII.

Et usi hac arte fere versuti Principes fuere, ut Senatum litibus occuparent, quo ipsi tutius fruerentur dominatu.

Sic Nero & Tiberius Senatui iudicia mandarunt, ut ipsi liberius dominarentur. Tranq. in Nerone. Tac. lib. 1. Annal.

IX.

Certe Carolus V. Imperator Belgicæ Princeps, in provinciis eius plerisque idem tentavit; *a)* Licet, à nonnullarum piovinciarum ordinibus ab initio suspecta fraus sit *b.*

a) *Constituens consilium præsidibus regionum singularum quo scilicet Ordines earum, Senatum referentes, & iura maiestatis, præsente & renuente etiam quandoque præside, more maiorum usurpantes (sed Princeps fere iuramento obligatus erat, ne privilegia ipsorum minueret.) paulatim eo iure privaret, ipsoque dein*

i-

iudiciis occupato, id paulatim derivaret ad consilium ipsius secretum, Belgica universæ generale.

b) *In Gelria potissimum, ditione Vltraiectina & Trãsisulana. Sed Vltraiectini consilium illud quidem admisere, verum decreta eius perpetua æmulatione prosecuti. Transisulani professi, se non alium Senatum quam suorum Ordinum admissuros, restitere palam. Donec Philippus Caroli filius eo prætextu id constitueret, ut legato tantum ipsius à consiliis foret. Sed hi nullam ei iurisdictionem permisere, multo vero minus tractare quæ rempublic. concernebant ipsam.*

X.

A cæteris fero deprehensa, cum scilicet impediendæ religionis mutationi, princeps Inquisitionis Pontificiæ rigorem vbique contra morem maiorum instituere conatus, a) flagrantissimo bello moto, seipsum deiecerit potioris partis principatu; b) adeoq; in periculum deduxerit potentissimi imperii sui summam c.

a) *Quem sane Optimates averti non semel, quam officiosis libellis supplicibus rogarant; offerentes se nec aliam quam antiquam Romanam admissuros, modo ab inquisitionis severitate in bonos subditos abstineretur. Interea consilia (quæ diximus) legato regio in executionem pernitiosæ rei obsequio erant; ut tandem Ordines generatim de iniuria, libertati & privilegiis priscis illata, protestati, armis sumptis secesserint. Et tum demum comperta omnibus affectata dominatio est.*

b) *Nam cum diu Ordines arma ac regimen adversus legatum generalem, etiam ipsius Principis nomine gessissent (reverẽtia scilicet Regis moti,*

iniu-

iniuriam omnem legatis & eorum exercitui imputantes) tandem Rex ipse deliberatione habita, confidens se facile minutissimam imperii sui particulam in potestatem redacturum: potius censuit, eos iure belli sua dominationis facturos, quam Principem praesse populo tanta libertate & privilegiis immunem.

c) *Bello nimirum ab Ordinibus foederatis utrique Indiae moto.*

XI.

Ex quibus evenit, Dominatus affectationem Principibus periculosam esse. Ac licet ea interdum succedat, *a*) tutius tamen non praeteriri eos, quorum authoritati nititur maiestas ipsa *b*.

a) *Vt contigit nuper Regi Hispaniarum Philippo secundo in oppressione regni Arragonum. Quod ante Principatu moderatissimo constitit, sed bello eidem ob levissimam causam moto, in Regis dominatum redactum, vi.* Hist. Anton. Peres.

b) *Exemplo esse potest Principatus Augusti, Traiani, Alexandri, Theodosii, & alii,* Suet. in Aug. Plin. in Paneg. Lamprid. in Alex. *Qui nullas Leges generales à se constitutas ratas voluere, nisi SCtis confirmatas, vi.* l. humanum. C. de LL. *& felicissima idcirco imperia gessere.*

XII.

Sic enim dominantur, sed non invitis; Principes audiunt, Domini imperant; Non quidem servis, sed quasi liberis, certe civibus ingenuis.

Vt ide

Vti de Pericle proditum est, eum quidem dictum curatorem, re ipsa tamen Principem fuisse, Thucyd. lib. 2. *& de Augusto, repudiasse eum Domini titulum, sed summa benignitate & gratia omnium fretum Dominatu. Idem verum de Traiano, Hadriano, Alexandro & pluribus.*

XIII.

Quid ergo est, quod Legibus dicitur solutus? *a)* ideo pertinet, ut intelligatur, eum cõstitutum esse supra Leges. *b)* Id vero est, ut constet eum, decretis, sententiis, privilegiis, rescriptis suis, legibus non alligari; *c)* sed derogare iis pro arbitrio posse *d.*

a) L. Princeps. de LL.

b) *Quod disp. prox. sup. constituimus pracipuum caput Maiestatis.*

c) *Adeoque sacrilegii instar sit, disputare de ipsius potestate.* l. 3. C. de Crim. Sacril.

d) *Ideoque & exigente ita occasione, per se legem novam ferre,* l. 1. de Const. Princ. *& ius receptum corrigere ac moderari, solus possit* l. 1. C. de LL.

XIV.

Non tamen hoc Senatui adimit authoritatem iuris condendi. Cum enim id iam olim potuerint, *a)* ademptum ei hoc Lege Regia putandum non est *b.*

a) l. non ambigitur. de LL.

b) l. ult. in fi. C. eod. verb. nihil hac lege derogante veteris iuris conditoribus. *Sed Princips ea potestas etiam seorsim fuit, cum Senatus eis omnib. locis ac momentis non potuerit adfuisse.*

XV. Et

XV.

Et revera, quod cautum est, Leges generales non subsistere nisi confirmatas à Senatu, *a*) temporale Principum qui id indulsere, beneficium fuit. *b*)

a) l. humanum, C. eod.

b) l. ult. princ. C. eod. *Nam & Princeps Iure suo condere ius potuit*, d. l. 1. de Const. Princ. *& Senatus etiam sub Principibus, iure suo.* l. 1. C. de SC. verb. per se obtineat d. l. ult. in fin. C. de LL.

XVI.

Non tamen existimandum, quia Princeps Legibus solutus est, idcirco eum non vivere ex earum præscripto. *a*) Quia non pugnant Legibus solutum esse & Legibus vivere, sed ea demum, Legibus solutum, & subiectum esse *b*.

a) l. digna vox. C. eod.

b) *Prorsus ut è diverso magistratus, quia legi derogare non potest, eidem subiectus censetur.* l. 1. §. 4. Ad SC. Turpil.

XVII.

Parum apposite proinde Cuiacius d. l. Princeps, ad LL. tantum caducarias retulit.

Est quidem ea ad L. *Iuliam & Papiam conscripta, sed ut restringatur ad eas, locus communis tituli de* LL. *non sinit, Magisq; est eam ad* L. Imperii *referen-*

referendam, l. 3. C. de Testam. *seu legem Regiam*. l. 1. de Const. Princ.

XVIII.

Nec rectius qui eum tantum naturæ & honestatis legi alligatum, civili non putant. *a*) Alioquin enim populum Rom. etiam ante potestatem suam in Principem translatam legibus suis non fuisse alligatum dicamus. *b*) Et postea Res Dominicas eisdem non fuisse subiectas *c*.

a) DD. in d. l. digna vox.

b) *Quod tamen absurdum pariter & falsum fuerit.* arg. tit. de Iure Fisci. & arg. tit. C. de priv. Fisci. *Nam & populus R. ipse in LL. suas iuravit.* Plut. in Mar. Appian. li. 1. Dio Nicæus. li. 37.

c) *Quod perinde absurdum & falsum fuerit. Cum nulla ratione à communi iure sint exemptæ, præterquam ex privilegio*, l. ult. & tot. tit. C. de Priv. Dom. Aug.

XIX.

Sed & Principatus Dominatu legitimo potentior foret: cum etiam civili ratione usurpare tyrannidem posset. Quod tamen nemo unquam dixit adulatore excepto.

Nam quod Imperator Mundi Dominus dicitur, l. ἀξίωσις. D. ad L. Rhod. de Iac. *ad dignitatem pertinet non ad dominium. Vt apposite Seneca*; Rex omnia imperio possidet, singuli dominio.

XX.

Quando tamẽ est aliquid obligans Maiestatem

tem præter Rationem Naturæ, id Principatus ipse sit oportet, qui scilicet necessitudinem inter ipsum & civitatem producit, qua ille Dignitatis præmio & honore fretus, vicissim tenetur, ab iniuriis singulos & publice omnes tueri.

L.digna vox. C. de LL. *Eiusque rei certissimum argumentum est, quod illa etiam quæ Princeps ut Legibus solutus facit, qualia sunt quæ per rescripta fiunt, in iudiciis haud aliter æstimentur, quam si conveniant iuri.* l. ult. C. Si contra ius vel util.publ.

XXI.

Igitur ut Populi ipsius in repub. Maiestas fuit, Senatui authoritate sua salva, *a*) ita illa ipsa in Principem Lege Regia translata, hæc quoque Senatui fuit illibata *b*.

a) *Vt enim in Populo Romano Maiestas, ita in Senatu authoritas fuit.*

b) l. 1. C. de S C. *Licet Principes non primi re ipsa usurparint dominatum. Nam quod Tranquillus de Caligula scribit, Parum abfuit quin speciem Principatus converteret in regnum, regnum pro nomine nudo item sceptro & diademate [illegible] regio dixit, cum ille non modo Regnum, id est, (ipsi) dominatum usurparit, sed & tyrannidem crudelissimam.*

XXII.

Maior tamen Senatus authoritas multo in Republica fuit.

Cum & Senatus magistratum interdum Legib. solveret,

ret, ut accidit Augusto, copiis Antonii ad Actium fugatis. Quod tamen vetitum erat, nisi 22. Senatores adfuissent. Idque. Cornelia Tribunitia. *Author pedian.* in Cornel. *Sic & iudicia tractare Ordine Amplissimo inferius erat.* Cic. in Verr. *Nec vacabat Senatus iudiciis, nisi in causis gravioribus ex populi mandato, vel si de coniuratis supplicium sumendum, vel de provinciis ac civitatibus iudicandum esset.* Polyb. lib. 26. *Exemplum sit in coniuratis Catilinæ apud Salustium. Idq; referendum est ad occasionem tumultuariam, qua nimirum Coss. & Senatus, ita Reip. expedire videbant. Quod igitur Bodinus, Polibium ex Livio reprehendit, Senatui id iuris iniussu Populi non fuisse.* lib. 2. de Rep. c. 1 *ad tempus reipublicæ pacatæ referendum est. Cum Polybii sententia per se vera sit, sed exigente id Republica summa; aut non renuente Consule qui Senatorius magistratus erat, ut apud* Liv. li. 4. & li. 27.

XXIII.

Vti & alias fere semper in statu Optimatum Senatus Principatum refert, *a)* in Aristocratico quidem directo, *b)* in populari ita ut consulendi Populum ei necessitas sit *c.*

a) *Vt tamen ei fere adiuncta collegia ampliora sint, quæ in gravioribus consulat, ut Princeps Senatum.*

b) *Cum penes eum & collegia ei adiuncta, fere ipsius Reipublicæ sit summa.*

c) *Modo Senatus deliberatio precedat. Est enim is in democratia ut sua prudentia temperet plebis fervorem* Plato 6. de LL. *Cui sint consilium 400. Consultorum Solon Athenis constituit.*

 Plut. in

Plut. in Sol. *sine quorum consilio nihil ad Populum referretur. Quod cum Trasibulus & Androcio omisissent, capitis accusati sunt.* Plut in Lysim. Demost. contra Androt.

XXIV.

Quod si penes Senatum quidem summa Reipublicæ sit, præsideat tamen ei quis eiusdẽ Princeps, sive is Rex, sive Princeps, sive Dux vocetur, Aristocratia erit, non Principatus seu Monarchia.

Vt in Rep. Veneta, ubi Dux nihil iuris in summam Reipublicæ habet, quam quod præeat Ordini Senatus, & omnino vivat ex Legibus sibi à Senatu constitutis, nullamque adeo sine eo habeat Reip. administrationem. Eiusmodi erant Reges Lacedæmoniorum ex instituto Lycurgi. Bodin. lib. 2. de Rep. c. 1. *& Principes Senatus in Republica Rom. ante Monarchiam.*

XXV.

Participat tamen interdum status Optimatum aut Populi à principali, & vice versa, hic ab illo. Cuiusmodi fuit Regnum Arragonum, & etiamnum Regnum Poloniæ, ac Daniæ, & nuper Principatus provinciarum Belgicarum.

In quibus nimirum Principis quidem est administratio Reip. una cum magistratibus ab ipso & Senatu constitutis: sed statuendi de Legibus vel adversus eas nihil iuris habet sine Senatus consensu. Licet hæc res interdũ abusum patiatur.

XXVI.

Quibus consequenter adversus Bodinum, *a*) ex cõmuni historicorũ sentẽtia recte dici putamus

tamus aliquem statum Reip. mixtum esse *b*.

a) Lib. 2. de Rep. c. 1.

b) Plat. Arist. Polyb. *Eius tamen rei exemplum male in Rep. Rom. aut Veneta constitui putamus. Rectius enim statuitur in exemplis thesis praemissae.*

XXVII.

Quin &, solo dominatu *a*) excepto, posse omnem Rempublicam mixtam esse putamus, adeoque eam fore optimam *b*.

a) *In hoc enim uni Principi potestas sine assensu Populi aut Senatus absoluta est.*

b.) *Authores Plato Aristot. qui tamen in modo mixtionis dissentiunt.*

XXVIII.

Illud tamen verum est statum etiam mixtum à potiore Principum potestate speciem è tribus unam sortiri.

Idque vel ipso Bodino teste l. 2. de Rep. c. 1. verb. gr. *Principatus Monarchiam constituit etiamsi Principis maiestas Senatui utcunque sit alligata, modo ille potestate & imperio supra Senatum sit, ut Romae olim & in plerisque Regnis hodie. Diversitas tamen magna hac in re pro locorum varietate est. In Gallia enim, Anglia, Hispania maxima Regum potestas est; Imperatorum Italiae & Germaniae paulo minor, ut & Regum Poloniae, Sueciae, Daniae, Principum Ecclesiasticorum in Germania, itemque Principum Belgicae. Ut haec res prorsus pro natura populorum diversa temperanda sit.*

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO VI.

DE *Magistratibus, & Curationibus in genere, Civium Ordinibus in specie.*

APHORISMUS I.

PRincipi & Senatui proximi dignitate & potestate sunt Magistratus.

Ut enim in Populo & consequenter in Principe. (cui l. Regia universa populi potestas collata fuit l. 1. de Const. princip.) *Maiestas, in Senatu authoritas, in plebe potestas, sic in Magistratibus imperium, fuisse dictum est, Cic. & Latini Authores passim, id est, potestas exsequendi iussa & decreta singula.*

II.

Magistratus enim est, qui Iurisdictioni & Imperio, hoc est Potestati, exsequendi id quod decretum aut iudicatum est, officii ratione præest.

Iurisdictionis enim vocem huic definitioni minus sufficere

ficere putamus, quippe quæ magis in notione consistit, seu iuris seu facti, quam officio magistratus universo. Nam & interdum pro notione, seu cognitione facti usurpatur sola, ut l. ait prætor. 5. D. de sentent. & re iud. *Certe intellectu ab imperio separata est in omnem eventum.*

III.

Et quidē recte Bodinus notat, *a)* Cuiacium, Goveanum, Feretum, *b)* Sigonium, qui minus recte magistratum finierint, non tamen melius ipse, finiendo eum imperio solo *c.*

a) Lib. 2. de Rep c. 2.

b) *Qui definit Magistratum potestatem P. Romani ordinariam.*

c) *Rectius enim aut certe minus imperfecte Cuiacius eum describit, iurisdictione in specie accepta, quam imperio: quippe quæ raro & vix unquam sine imperio est,* l ult. in fi. D de off. eius cui mand. Iurisdictio est. l. 1. Si quis ius dic. non obtemp.

IV.

Quia tamen nec iurisdictionem, nec Imperium solum in hanc rem sufficere putamus: *a)* utrumque in definitionis perfectionem requirimus coniunctum *b.*

a) *Nam & Senatui nonnullarum rerum cognitio, seu iurisdictio fuit; idemque Pontificibus,* Cic. ad Att. *Potestatem tamen seu Imperium sine Magistratuum auxilio neutri habuere. Sic & imperium alicui seu potestas exsequendi sine iurisdictione adesse potest. Idque argumento eius evincitur, quod alius interdum magistratus*

sententiam exsequitur. l. ab exsecutore. & ib. DD. C. quor. appel. non recip. fac. l. prætor ait. 75. D. de Iud. l. à Divo Pio. D de re Iud. Sic n iurisdictio *in personas Ecclesiasticas ad Episcopos, & Ecclesiæ prælatos pertinet, exsecutio vero ad Magistratus seculares.*; *Cin.* in d. l. ab exsecutore. *non tamē ideo Magistratus seculares seu Civiles, personarum Ecclesiasticarum dicuntur Magistratus. Idem iudicium est de iurisdictione domini feudi imperium ordinarium non habentis.* Vult. in tr. Feud. li. 2. c. 3. n. 29. post. Rosental. c. 9. concl. 26. in fi.

V.

Quando igitur iudicem, qui solam notionem habet, *a*) item quando Episcopum aut P ç latum Ecclesiasticum magistratum dicimus, *b*) ratione loquendi utimur impropria *c*.

a) *Qualis est iudex delegatus, seu ad facti cognitionem à Magistratu datus.* d. l 5. D. de re iud. Goddæus & Alciat. in l. notionē. 99. D. de V. Sig.

b) tot. tit. de off. Iud. Or.

c) *Vt cum in iure civili notio pro iurisdictione ponitur.* d. l. notionem. & d. l. 5.

VI.

Denique & male Bodinus *a*) autumat, eum qui iurisdictionem sibi ab altero mandatam exercet, non esse magistratum cum contrarium Iuris Authores prodiderint diserte *b*.

a) d. lib, 2. cap. 2.

b) *Prætor enim est, licet exerceat, iurisdictionem alterius.* l. 3. ff de off. eius cui. mand iuris. Et vero si prætor est, magistratus est.

VII.

VII.

Officium vero Magistratuum est in Iurisdictione & Imperio exercendo omnia facere ex præscripto Iuris & Legum.

§. 1. Instit. d. offic. Iud. *Nam si decernat aut iudicet adversus leges, ipso iure nihil agit* l. cum prolatis de sent. & re iudicat. *Consuetudines tamen receptæ quoque pro legibus sunt, iudicemque non minus quam* Lex *scripta obligant*, d. §. 1. Inst. de Off. Iud.

VIII.

Itaque uti Princeps legibus solutus est, *a*) idque adeo proprium est Maiestatis, *b*) ita Magistratus eisdem subiectus est *c*.

a) L. Princeps de LL.
b) *vi disp. duas præcedentes.*
c) L. 1. §. 4. D. Ad SC. Turpil.

IX.

Sed cum cognitio omnis vel facti vel Iuris sit *a*) verum quidem est, eum cognoscere de quæstionibus iuris posse, sed ita, ut ex iure certo, vel eo quod iustum deprehenderit, nihil quicquam, ac ne quidem prætextu æquitatis possit mutare *b*.

a) d. l. 1. §. 4. *vid.* D. Busi. in lib. de officio. Iud. c. 3. & 4. per tot.
b) l. 1. C. de legibus iunct. l. prospexit D. Qui & á quibus manumiss. lib. non fiant.

XIII.

Quid ergo si aliter Iudex sibi constare putet, quam probatum est: Nos ita finimus, ut in dubio quidem tuto conscientiam sequatur, adversus probationes vero manifestas, notitia ipsius, seu conscientia nihil possit.

Arg. l. illicitas. §. veritas. D. de off. Præs. & arg. d. l. 10. §. cum autem. Covar. 1 Var. Resol. cap. 2. *Consule & Bus. post alios* in d. §. veritas. Bronch Cent. 1. Enant. c. 11. *Consultum vero eo casu est ut iudex cui id cōtingit, personam Iudicis exuat, testis denuo vel accusatoris suscipiat*, Cuiac l. 12. obs. 29 Horom. in Ill. q. 17. *vid. tamen hac de re paulo aliter differentem* Dn. Lycklama lib. 2. Membr. c. 2. per tot.

XIV.

Magistratibus proximi sunt Curatores, qui sc. sine Imperio ordinario *a*) iurisdictioni conjuncto publicam administrationem habent, vel procurationem.

a) *Extra ordinem tamen de rebus, ad curam suam pertinentibus cognoscunt interdum, ut* in l. 3. § 1 D. de Off Præf. Vig. *Cuiusmodi sunt Episcopi, Sacerdotes, Senatores, itemque iudices, qui sine Imperio sunt, Iurisconsulti, præfecti militares qui sine iurisdictione sunt, Curatores viarum, Portuum, Publicorum Ædificiorum & similium, (qui posteriores tamen plerique aliquo saltem cum Imperio esse solent)* Legati *Reipub. Syndici, Secretarii, Procuratores, Notarii, Nuntii, Lictores & similes.*

XV.

In horum muneribus, id modo obſervandum, omnia ipſis ex fide, bono publico & commodo rei ſibi commiſſæ expediendum pro re nata. Ita tamen ne facile tranſiliant fines mandati.

Vnde iſtæ clauſulæ quæ mandatis curatorum & legatorum inſeri ſolent, (ſi quid amplius fieri oporteat, pro locorum, temporum ac perſonarum varietate curabit) non pertinent ad ea quæ ſine ſpeciali mandato nequeunt expediri, ut fœdera bellum, pacem & inducias: ſed tantum ad minutiora, ut recte Bodin. *monuit* l.3, d.Rep. *cap.*2.

XVI.

Quibus poſitis, vidēdum de ordine Civium eſt: Eum vero ſtatuimus duplicem; primum quo civitas diſtribuitur convocandæ multitudinis cauſa idque in collegia; *a*) vel tribus regionum loco diſtinctas aut cenſu *b*.

a) *Puta opificum, Negociatorum, ſodalium aliorum.*

b) *Sed hoc poſterius tutius putamus, quia enim Collegia illa, ratione communionis ſuæ congregandi occaſionem habent, & ſine ſuſpicione conſilii de rep. ineundi tuto conveniunt, ſeditionum non raro ab ipſis proveniunt cauſæ. Quod Coloniæ Agrippinæ compertum eſt ſæpe, & alibi non raro.*

XVII.

Alter ordo eſt inter Civium genera conditione

tione ac dignitate inter se diversa, ut sc. minus dignis digniores præcedant, sic Senatus & Senatorius Magistratus præcedunt reliquos, ex his muneribus maiores.

Vid. tot.tit.Cod.ut dig.ord.serv.lib.12.

XVIII.

Sic Rex præcedit Principem Electorem, Electorum Senatus Duces, hi Lantgravios, Marchiones, hi Comites isti rursus Barones, *a*) Barones Nobiles, hoc est Plebis Optimates *b*.

a) *Vi. text. & Feudistas* in c. quis dic. dux. in usib. Feud. *Isq; ordo ita fere in Germania servatur; In Italia tamen & Gallia non omnes Marchiones Comitibus praferri solent, vide* Boer. in tract. d. Auth. Magni Consil. Gall. num. 108. & sequenti.

b) *Qui vero Nobiles seu optimates è plebe dicantur, & de tota nobilium conditione pluribus egimus supra* disp. 2. *in posterioribus thesi. ubi vide.*

XIX.

Inter optimates vero præcedere oportet, qui ipsi magistratu defuncti sunt *a*) postque eos administratores publicarum Curationum: *b*) Nisi usus & ratio admittat hos illis proponi *c*.

a) *Vt tamen functi potestate maiore, minore functis praponantur,* l. 1. de albo scrib.

b) arg. l. 2. C. ut dig. ordo serv. lib. 12.

c) *Quo modo inter Christianos Episcopi & Prelati magistratibus minoribus praferri solent.*

XX.

Post eos præponendi optimatibus cæteri sunt, primi Theologi, *a*) Secũdi iurisperiti, Tertii Medici, *b*) Quarti Philosophi, ii tamen, qui actu, hoc est doctrina & exercitatione se tales profitentur: tum milites *c*) post Philosophi Speculativi *d*,

a) *Hi enim ab Antiquo digniores habiti, eo quod & Reges ipsi olim sacra tractarint.* Hist. Rom *passim &* Hist. sacra de Melchisedeco.

b) *Præcedunt enim hi Philosophos,* l. 1. §. 1. D. de extraord. Cogn.

c) *Qui tamen cum aliqua dignitate sunt, ut Centuriones,* Afflict. in Const. Sic quæ incip Const. præsenti, 1. notab. alias nõ arg. l. ult. C. Qui militar. poss.

d) *Vtiles quidem Philosophi reipub. sunt, sed hoc de practicis veritus est, ut Iurisconsultis, qui puta veram non simulatam Philosophiam profitentur,* l. 1. § 1. D. de Iust. & Iure. *Cum speculativi vita alieniores sint,* Arist. 10. Eth.

XXI.

Sic ex Plebe præponendi possessores agrorum sunt *a*) tum Patroni causarum *b*.

a) *Nam qui conducti pretio agriculturam exercent, inter viliores censentur.* Arist. 7. Polit. c. 9. & 10 *De cæteris vero licet Iason existimet, nobilem qui ex urbe rus migrat, nobilitatem perdere, id tamen in Germania, Anglia, Polonia, Dania non ita est. Sed & Romanos Patricios agriculturam tractasse verissimum est.* Plin. l. 18. c. 3. Columell. lib. 1. de Re Rust. c. 1. Cic in Cat

in Cat. Maiore. *Denique & Cyrus hortos sevit & Attalus etiam Pergami Rex.* Varr. 1. de Re Rust. c. 1.

b) *Honestiores puta, namque id generatim in hanc rem observandum putamus, infami vita deformatus vix locum inter Cives esse. Quod si vita honesti Patroni sint, arte sua non minus quam milites Reip. conducunt.* l. 14. C. de Advoc. divers. iudicior. *& prope Nobiles habetur, not. DD.* in l. pen. C. de Postul.

XXII.

Tum negotiatores *a*) post Fabri *b*) Pictores *c*) & dein cæterorum opificiorum ingenui, postremo opificia vilia tractantes & libertini.

a) *Honesta enim Mercaturæ tractatio est & compluribus equitibus Romanis olim usitata. Et licet eadem Germanis superioribus, Gallis, Polonis, Moscovitis, aliarumque gentium optimatibus prope fuerit indecora, ut & Senatoribus Romanis,* Liv. l. 20 *hodie tamen in Italia Hispania, Germania inferiori ne quidem Principib. turpis censetur.*

b) *Nam & horum necessarius maxime usus in Rep. est vi.* lib. 1 Reg. c. 13. *sed & Vlysses se fabrum profitetur apud Homerum* 23. Odyss.

c) *Est enim ars eorum pura, multisque commendata.* Plin. lib. 35. *& Fabio Nobili Romano laudi tributa* Cic. 1. Tusc.

XXIII.

Multum tamen hac in re consuetudo potest. Nam qui hic viles, alibi sæpe honesti sunt & qui hac ætate abiecti, alia rursus honorati, & vice versa.

Facl. 11.

Fac.l. 11. D. de Decur. *olim enim plerique opifices viliores erant, quod artes eorum tractarentur per servos; hodie vero servitiorum usu sublato, complura opificia magis decora censentur. Vilia igitur hodie tantum agrestibus inferiora sunt, eaque demum quæ cum infamia exercentur.*

XXIV.

Nam quos hodie nobiles generis beneficio nuncupamus agrorum optimates *a*) nullis antiquitatum monumentis hoc nomine aut honore habitos constat *b*.

a) *Siquidem Latini Authores nobiles dixere Romæ quidem quorum parentes ac maiores Magistratibus functi erant, in provinciis regnis fœderatis & exteris etiam qui ex Regum ac Principum stirpe originem trahebant.*

b) *Cum nobiliū nomen intra ducentos etiamnū annos illustrib. tantum personis tributum fuerit: Nec in plebe Provinciali aut oppidana ulla differentia fuit quam quod Decuriones & eorum liberi oppositi fuere plebi reliquæ* tot. tit. D. & C. de Decurionibus.

XXV.

Qui tamen hodie hoc nomine recte vocantur eo quod una cum civitatum Principibus, ordinem Reip. constituant in provinciis singulis *a*) & quasi Senatum quendam peculiarem *b*.

a) *Arg. sint Provinciæ Belgicæ & etiam principatus plerique Germaniæ superioris.*

b) *Cum puta in singulis Ducatibus, Comitatibus, & sim. dy-*

sim. dynastiis Ordines (quos Germani status vulgo) una cum Principibus fere summam Reip. cuiusque moderentur iua.

XXVI.

Sic Comitatus Maiores nostri præfecturas certæ regionis *a)* in hac vel illa provincia dixere: hodie vero res ea ad Magistratū perpetuum & hæreditarium devenit, ut & Comites ipsi, modo Reguli sint *b*.

a) *Quo sensu sc. Comitatum Ostergo & VVestergo veteres dixere: Vt in archivis Civitatis Zuollanæ deprehenditur, Ordines trium Civitatum Daventriæ, Campensis & Zuollanæ cum duobus Comitatibus Ostergo & VVestergo in Frisia inducias mille annorum iniviße. Item Comitatus Drentiæ & sim. quum tamē nulli unquam Comites eius potestatis & Iuris fuerint, cuius sunt modo hereditarii nominis eiusdem, Ita Comitatus pro territorio dicitur,* c. un. §. 1. & 2. d pace ten. in us. feud.

b) *Vnde istud responsum Bartoli, quod & plerique cæteri sequuntur: Tantum esse Ducem, Comitem, & Civitatem Imperii Italiæ aut Germaniæ, in suo territorio, quantus Imper. in Imperio,* Bart. in l. infamem. num. 14. D. de Pub. Iud.

APHO-

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO VII.

DE

Mutua Potestate, Iure & Officiis, Principem inter & Magistratus.

APHORISMUS I.

SEd quæ de Principibus ac Magistratibus disseruimus, necdum satis examinasse videamur, ni de Necessitudine ac iure mutuo inter eos latius agamus.

Id enim ut intelligamus vel maxime pertinet ad peritiam Reipub. recte tractandæ, adeoque ut ea de re agamus, consequens disputationi superiori est.

II.

Qua in re principio illud commode quæritur, liceat-ne de Principis potestate disputare? Quod nos quidem admittendum sed cum distinctione putamus.

Dubium movet l. 3. C. de Crim. Sacril. *ubi id simpliciter*

cius sub pœna sacrilegii videtur vetari, ut & in l. 5. C. de Divers. rescrip.

III.

Vt scilicet Maiestatem ipsius serio in dubium vocare non concedatur, nec sententiam adeo ab ipso legitime latam disputare, *a)* liceat tamen indagine scholastica disserere de illa causa inquirendæ veritatis *b.*

a) *Quia id seditiosum foret, itaque* d. l. 3. & d. l. 5. *accipienda.*

b) Arg. tot. tit. C. si quis cont. ius vel util. publ.

IV.

Quid ergo calumniæ & maledicta temere in Principem effusa punienda sint? Et si quidem ea seditiosa non sint, nec in consuetudinem deriventur, etiam laudabile censemus ad ea connivere.

Idque omnino heroice Theodosius sancivit l. un. C. Si quis Imp. maledix. *Et egregie Titus;* Nemo me afficere iniuria aut contumelia potest. quia nihil ago reprehensione dignum, quæ vero falso de me dicuntur, prorsus negligo. *Xyphil. in Tito. Aureum vere dictū, nec principibus modo, sed honestioribus quibusq; mendaciis lacessitis, animo inculpendum. Ne puta vel decus vitæ suæ, vel piam modestiam lædant, contendendo cum hominibus nefariis, & in hoc, ut famam bonorum inquinent, infamiæ ipsi devotis.*

V.

Serio igitur Potestas Principis disputanda

non est, quamdiu rationis & legum fines non transgreditur, cum iniuria omnium vel singulorum. Si tamen contra agat, diversum dicimus.

Neque enim Imperio Populus solus obligatus Principi est, sed ille vicissim Populo, vinculo necessitudinis, & legum, & Principatus, ut omnes à vi atq; iniuriis conservet tutos. Cum nihil absurdius sit quam si quis existimet, Populum Principis caussa esse, non Principem Populi causa ipsius. Eleganter Marius Solomonius lib. 3. de Principatu *Vide sup.* disp. 4. & 5. *Praeclare proinde Antigonus filio immoderatius se gerenti:* An non *inquit*, novisti fili, nostrum regnum esse nobilem servitutem. Ælian. lib. 2. variar.

VI.

Quod quidem in Monarchia, hoc est, Regimine unius distincte accipiendum, ut de Dominatu & potestate eius ambigere nunquam liceat, *a*) nisi imperio in tyrannidem converso *b*.

a) *Quia in eo soli Principi ac rerum Domino Maiestas Reipub. inest Cum Senatum proprium Authoritatis Principalis participem non habeat, sed consilium fere tantum ab ipsius nutu dependens*

b) *Nam si id fiat, quia ius & naturae & civium violat ex parte sua, haud aliter populo provisum esse potest. Ut scilicet locus fiat rationi naturae.* Arg. l. ut vim. de Iust. & Iure. *Exemplo sint Athenienses in amovendis 30. Tyrannis, Romani in eiectione Regum. Et omnes Civitates Graecae, quae principio Regibus paruere, sed conversae*

verso Imperio eorum legitimo in dominatum, omnis amoverunt. Halicarnas. lib. 5.

VII.

In Principatu quidem facilius liceat, *a*) parcius tamen quam in statu Optimatum aut Populari. Nec aliter adeo, quam si vel absolutum Dominatum & Tyrãnidem occupet, vel Reip. ac ditionis eius partes alienet *b*.

a) *Quia in eo Senatus ipse participat quasi è Maiestate.*

b) *Sic Galli, quibus nulli Populi Principem maiori affectione & reverentia prosequuntur, sæpe quæ à Regibus alienata ex ditionibus Regni fuere, an iure facta essent, disputarunt. Et Germani etiam de donatione seu alienatione vectigalium Imperii in Principem à Carolo IV. facta ut filium ipsius Venceslaum eligerent Imperatorem.* Naucl in Chron. gen. 46. *vide late* Hotom. illust. disp. 1 *Vt interim nihil hic addã de ficta donatione Constantini, omnib. prudentioribus semper ludibrio habita, & Pontificibus ipsis palea dicta.*

VIII.

In Aristocratico vero statu, seu eo in quo Senatus fere Principis loco est, id licet & licuit semper impune, dummodo à seditione & violentia abstineatur.

Sic enim innumera SCta Plebiscitis sunt infracta. Vide Halicarnass. & Livium *passim: adeoque renitentibus magistratibus solis impedita. Tametsi alias summa Senatus Romani authoritas fuerit, & plerumque magistratus consultis seu*

decretis eorum paruerit, idque etiam non iubente plebe.

IX.

Multoque magis idem permiſſum eſt & fuit ſemper in ſtatu Populari, quippe in quo Populus ipſe una cum Senatu particeps Maieſtatis ipſius eſt.

Vti Athenis & Romæ, durante utroque loco ſtatu Populari, plerumque factum eſt. Liv. Halicarn. Plutarch. *alii paſſim.*

X.



Quod ſi lites ſopiri authoritate patrum vel prudentiorum nequeant, interceſſione potius magiſtratuum modeſta, quam ſeditione turbida, res eſt componenda, ut ſcilicet pacata interceſſione virorum prudentium diſſidium ſopiatur, nec ſeceſſio derivetur in ſeditionem.

Exemplo ſint ſeceſſiones Romanorum, quæ fere ſine profuſione aut everſione rei vel publicæ vel ullius privatæ ſummo Reipub. bono confectæ ſunt.

XI.

Quibus poſitis, conſequenter videndum, quæ poteſtas Principum ſit in Magiſtratus & officia ipſorum. Qua quidem in re ampliſſima ipſorum videtur libertas eſſe, eo quod in ortu rerumpublicarum Reges quoque ipſi iudiciis præfuere.

Sic enim Moyſes Princeps Populi Dei, Salomo, Romulus, A-

tus, Augustus, alii, olim iudicijs vacavere Et Consules Romani, ac Reges etiam interdum iudices sunt dicti vid. Bus. in lib. de off. Iud. cap. 1.

XII.

Nam & initio mandata Regum in caussis singulis pro lege fuere *a.*) Quod tamen postea mutatum est, occasione magnitudinis in quam paulatim Regna & Civitates crevere *b.*

a) *Iustin. & Salust.*

b) *Cum puta negotia publica eos paulatim occuparint, ut dein minus litibus privatorum potuerint vacare.*

XIII.

Vnde quæsitum est, An Principi ipsi conveniat cognitionibus caussarum operam dare? quidem ita statuimus, ut quidem possit interdum id, ac debeat, adeo extra ordinem.

Vt prudenter Hadrianus ab anu in transitu rogatus, ut eam audiret, ipse cognitione rejecta in aliud tempus, illaque reclamante, NOLI IGITVR IMPERARE, *ei præbuerit aures benigne.*

XIV.

Ordinarium vero iudicandi munus obire, ipsi quidem indecorum, *a*) civibus in caussis singulis pernitiosum sit & periculosum *b.*

a) *Cum assidua tractatione caussarum & admissione partium authoritatem suam sit imminuturus,*

qua tamen principem maxima praditum esse oportet.

b) *Quia enim eum ipsius Reipubl. negotia tenent, & ipsa per se gravissima, consequatur oportet ut cognitionibus litium in causis singulis operam sufficientem interponere nequeat.*

X V.

Hoc tamen de Principe grandioris imperii accipiendum, siquidem Comiti aut Baroni regionis exiguæ laudabile putamus, ut ipse, quoties ei à negotiis Reipubl. vacare licet, cognitionibus intersit.

Nam qui hac in quæstione Dominum Tartarorum, Regem Persarum, aut Galliæ, maioremque omnibus illis Regem Hispaniæ Regulus comparare velit ditionis minutæ, omnium absurdissime sit acturus: Vt recte Bod. tradit lib. 4. de Rep. c. 6. per tot.

X V I.

Hi enim cum fere non tam Principes, quam Magistratus hæreditarii vel beneficiarii sint, proprie ad iudicia exercenda tenentur.

Plerique enim Vasalli sunt Imperatorum, Regum, & Principum maiorum, à quibus scilicet Iurisdictiones & Imperia beneficio (quod dicimus) feudali concessa sunt, tot. tit. quis dic. Dux in Vf. feud. *Nisi quod quampauci illa etiam iure Allodii, hoc est, patrimonii teneant. Sic Princeps Auraicus Principatum suum in Gallia adeo iure allodii tenet, ut magistratus ipsius ibidem fruantur pleno iure Maiestatis. Quod tamen*

tamen de Duce Sabaudiæ, Lotharingiæ, Mediolani, Florentiæ dici non potest. Cum omnes hi vicarii sint Imperii Romani.

XVII.

Vnde est, quod à cognitionibus ipsorum fere ad Tribunalia Principum maiorum ordinaria provocatione solet appellari, *a*) eoque non minus iudiciis quam iure quasi Principatus, subiecti maioribus sunt *b*.

a) In Germania quidem ad Cameram Spirensem, in Italia ad Imperatorem, nisi quod privilegio nonnulli eximantur. In Gallia vero ad Parlamenta Regni.

b) Est enim ea subditorum & vasallorum in Principes obligatio, ut Iurisdictionem & imperium quod habent vicaria teneant possessione ac iure.

XVIII.

Magistratus denique omnes cum à Maiest[ate] te suprema ius suum teneant, mandatis etiam eorum tenentur.

Tot. tit. C. de mandat. princ. *item* tit. C. de Divers. rescrip. & pragmat. sanction. per tot.

XIX.

Ita tamen ut illa in causis singulorum cum modo habenda sint, nec, si ius vel publicum vel ullius privatum lædant, unquam admittenda, generalibus sanctionibus provisum sit.

L. 3. & l. Rescripta penult. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. Si contra ius vel util. Publ.

XX.

Adeo quidem ut si alicui tantum ex secutic mandata sit, ad eum pertineat cognitionem interponere de precum *a*) supplicantis veritate *b*.

a) *Quibus scilicet rescriptum Principale impetratū est.*
b) l.etsi.4.C.eod.tit.

XXI.

Ex quibus evenit tandem, non minorem magistratuum potestatem in cognitionibus esse de executione causarum, quæ mandato Imperiali, quam quæ requisitu tribunalis ordinarii ad eos devolvuntur.

Namque & is nihil aliud cognoscit, quam an sit iudicatum, nisi tamen sententia dicatur dolo aut fraude obtenta l si prætor 7 s. *ubi vid.* D. Bus. de iudic. *Prorsus ut* in d. l. 4. C. Si contra ius *non quidem de rescripto cognosci dicitur, oportere tamen iudicem cognoscere de precum veritate.*

XXII.

Num igitur, ut Innocentius Papa constituit, *a*) sententia à delegato Principis lata, iudici ordinario exsecutioni mandata, effectui danda sit, licet ordinarius ipse intelligat eam iniquam? *b*) Non putamus.

a) C.pastoralis.6. quia vero.ex.de off & potest.Iud. delegat. *Glossator quidē id caput variis ambagib. explicare conatur, mente tamen rescribētis esse, nullā ordinario de sententia delegati cognitionem*

tionem competere, ratio ibidem subiuncta convincit palam, quia sc. delegatus ille sit ordinario maior.

b) *Idque consequens superioribus est, argumento puta à maiori ad minus ducto. Adde* D. Bronch. Cent. 4. Enant. c. 13.

XXIII.

Quid ergo si Magistratus rescripta iuri, veritati, aut rationi adversa deprehendat, mandatum interim à parte secundum impetretur tenoris eiusdem? Principem certiorem faciet rei sibi deprehensæ, *a*) unaque se religione duci, ne officii ac Iurisiurandi excedat metam *b*.

a) Nov. 17. c. deinde. I. *& ibi DD.*

b) *Solent enim Magistratus ubique terrarum fere in Leges & Ius Receptum iurare. Quod & Iure Romano, ut vere, fuit cautum,* l. rem non novam. 14. C. de Iudic.

XXIV.

Sique magni interesse vel publice vel unius omnium intelligat, tutius putamus id etiam tertio atque iterum fieri, quam exsequi rescriptum iuri aut veritati adversum.

Cum enim in leges iurarint, his quoque, quibus adversus ius generale praeiudicio tertii rescripta admittere vetantur, adeoque reiicere iubentur diserte (ut in d. l. rescripta. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. si contra ius vel utilit. publ.) *censentur obligati.*

XXV.

Adeoq; renunciare potius muneri sibi mandato, aut, si fieri posset, saltē in causa ista, quam agere iniustitiæ ministrum.

Exemplo sit Cancellarius ille Burgundiæ Ducis, qui potius habuit, munere suo carere quam Principis rigidum mandatum exsequi. Quem tamen & Princeps in dignitate continuavit, & constantiam viri deprehendens, à proposito destitit. Sic & Petronius Syriæ præses à Caligula iussus statuam Imperatoris in templo Iudæorum erigere, animadvertens id sine vi ac seditione fieri non posse, Caligulam monuit sapius. Qui tamen à proposito non destitit, periit tamen priusquam minas Petronio eam ob rem decretas vel propositum suum exsequeretur.

XXVI.

Num vero, si addita clausula sit de causæ veritate, Iudici non amplius inquirendū, decretum exsequi religione boni Magistratus salva possit, videamus. *a)* Sed nos id non putamus admittendum *b*.

a) *Dubium movet, quod decreta Magistratuum etiam iniqua pro iure sint,* l. pen. de Iust. & Iure. *& res iudicata pro veritate,* l. res iudicata de Reg. Iur. *Vt de Principis decreto, in proposito saltem, dicendum idem multo magis videatur. Adde quod pessimi exempli futurum sit, permittere Magistratui, de decreto Principis cognoscendi potestatem.* Bod. lib. 3. de Rep. c. 4.

b) *Ius enim nostrum de rescriptis ipsis arctiorem cognitionem*

tionem requirit quam rebus iudicatis, idque etiamsi, illa postposita, sola executio ei sit iniuncta, d.l.4. C. si contra ius.

XXVII.

Nam cum Princeps & naturæ & civitatis legibus sit astrictus, *a*) nemo ei auscultare cogetur, præterquam in iis, quæ Ius vel publicum vel tertii non lædant *b*.

a) *Vid. supra* Sect 5. & 6.

b) *Alioquin & Princeps & Magistratus uterque Legem* DIVINAM *offendent*. Sap. 6. cap & 2. Paralip. 19. Philo de Iudic. *Et civilem adeo in natura ipsius ratione positam, una* d. l. rescripta. C de prec. Imp. off. *Vt quidem Papiniani sempiterna laus sit, qui Antonino Caracalla, sanguine fraterno madido, iubentiq; cædem ipsius excusare, invicta mente respondit;* Cædem facilius admitti quam excusari. *Vnde & Imperator eum mandavit occidi.*

XXVIII.

Quibus consequenter laudatissimam consuetudinem putamus, qua Reges & Principes in auguratione ipsi quoque in Leges & Mores maiorum iurare tenentur.

Quod hodie plerisque in locis & Rebuspub. receptum est. Optima certe ratione, ut sit aliquod vinculum religionis saltem, quo impediantur facile admittere susurrationes adulantium, de soluta ipsorum potestate. Quibus certe peius nihil unquam rebuspublicis accidit.

XXIX.

Certe quod Bodinus id rationi & maiestati adeo

adeo ipsi parum conveniens videtur; probandum non est. Quod alias Principes difficilius sibi consuli admittant, & facilius in nefas ruant.

Aristoteles certe iam olim ætate sua nonnullos reges vinculo iuramenti astringi, nonnullos contra, annotavit. 5. Polit. *Sic & populus Romanus ipse iam olim, & ante imperium in Principes translatum pro more habuit ut in proprias iuraret leges. Latini authores passim.*

XXX

Bona profecto ratione. Nam cum Reges potentiæ libertate accensi facilius inclinent, quo appetitus ducit, *a)* sacramenti religio saltem id præstabit, ut aliquo metu Numinis cohibeantur. *b)*

a) *Reformidant enim rationem, ceu principem admittere, ne potentia bonum, quod habere videntur, impediat, si astringat, & servire cogat honesto. &* Plut. in lib. in Princ. Req. Doctr.

b) *Quippe qui quemvis, modo non improbissimum & scelestissimum, afficit.*

APHORISMORUM

POLITICORUM
SECTIO VIII.

DE

Magistratuum qualitate, Principis, item & illorum in Populum, & huius in illum necessitudine, & Iure, item Legibus, Præmiis, & Pœnis.

APHORISMUS I.

HIs quæ superiori disputatione dicta sunt; consequens illud in primis est, ut magistratus tam erga subditos quam Principem ipsum magnanimus *a)* sit ac prudens *b.*

a) *Ne scilicet ullius timore ab administratione iusti terreatur,* Plato lib. 9. de LL. *Facile enim deviat à Iustitia qui non Deum sed homines timet,* Chrysost. in serm. de Ioanne.

b) *Ne scilicet imprudentem facile vel affectus vel error decipiat. Cum interim nec considerandа sit persona pauperis, nec honoranda potentis* Deut. c. 1. vers. 13. Nov. Iustiniani. 82.

II.

Unde principio quæsitum est, An iudices in republi-

republica bene constituta iuris ac legum imperiti admittendi sint: *a*) Quod omnino dicendum non est quamdiu peritiorum haberi copia potest, *b*) ne populo male iustitiam administrent.

a) *Dubium movet* l. penult. C. eod. cum simil.

b) *Idque maxime in magistratibus maioribus observandum est. Unde Curiæ provinciarum hodie fere ex Iurisconsultis cōstant, civitates vero maiores fere syndicos habere solent iuris peritos. Uti & magistratus Romani suos habuere assessores. vid.* Dn. Bronch. Cent. 1. Contr. 64.

III.

Quod si ii haberi difficilius queant, *a*) ceteri etiam, sed pro census, prudentiæ & probitatis præstantia admittendi, ita ut iniungatur eis in causis singulis consulere peritiores *b*.

a) *Quod vel periti pauciores sint, vel pro census tenuitate difficilius reipublicæ possint vacare.*

b) *Idque olim quoq; Romæ obtinuit, & etiamnum in plerisque provinciis Belgicæ servatur Qua ratione, puta, iudices tribunalium inferiorum, processus post causæ conclusionem deferunt ad Iurisconsultos. Adde &* Hotomannum in Illust. quæst. c. 28. per. t. t.

IV.

Quibus consequenter & illud disputatur, utrum præstet magistratus habere temporaneos an perpetuos. *a*) Illud in republica, *b*) hoc in Principatu probamus *c*.

a) *Videntur enim perpetui experientiam & habitum conse-*

consequi perfectiorem ad res agendas. Et praterea occasione salariorum qua ipsis constituũtur divitias consequi maiores, ut prasumendum sit eos minus sordibus deditos fore. Qua ratio Tiberium movit ut Rectores provinciarum raro aut nunquam revocaret.

b) *Neputa singulorum diuturna potentia reipublica periculosa eveniat. Cui adde quod magistratus in republica plerumq; amicitiis & favore cognatorum diriguntur. Unde fieri queat ut & indigni eligantur, & eorum animi accendantur impotentia morum. Qua ratio Annibalem pratorem Cartaginensium movit, ut eos legem rogaret, quibus iudices, perpetui qui ante, in posterum annui forent* Liv.l.b 33.

c) *Sub Principe enim magistratus male munera sibi commissa administrantes facile plecti & removeri loco possunt, ut in ius locum habeat ratio thesi subiuncta, vi.* Bod. *elegantissime* lib 4. de Rep. c 4.

V.

Quid ergo an qui subterfugiunt magistratus ad eosdem obeundos cogendi sint, videamus: & certe id quoq; distincte explicandum est.

Vt quidem si potiores haberi possint aut certe aquales, inviti non cogantur, sin minus, diversum dicamus.

VI.

Deniq; & iudicem ac magistratum ab omni ambitione, *a*) corruptione, *b*) gratia, *c*) misericordia *d*) alienum esse oportet.

a) *Cicero enim perappositè:* Facillime ad res iniustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriæ cupido. I. *Offic.*

b) *Recte*

b) *Recte nimirum Horatius Sat. 2. lib. 2.*

Dicam si potero, male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

c) *Amicitiæ aut favoris,* Plutarch. in Polit. Cic. 3 Offic.

d) *Hanc tamen hic non pro virtute, quæ charitatis Christianæ comes necessaria, sed pro iudicis in pauperes & afflictos iustitiæ & æquitatis remissione accipimus. De qua dictum;* Non misereberе pauperis in iudicio. *Deuter.*

VII.

Nec minus etiam ab odio aut severitate, cum hæc quoque prudentiam & candorem in iudice requisitum vel impediant vel obscurent.

Recte nimirum Plutarch. Æqui iudicis est, nihil in odium alicuius audire vel in gratiam, sed sincere ad ius reddendum omnia in causa expendere, *in lib. de Off. Audit.*

VIII.

Magnanimitatem proinde quoque non talem intelligimus quæ adversus Principem in contumaciam *a*) aut adversus subiectos in crudelitatem cedat, sed quæ ipsa quoque communi virtutum tramite ducatur rationis ac modi *b*.

a) *Recte nimirum Seneca:* Apud Reges etiam quæ prosunt, ita tamen, ut delectent, suadenda sunt. *In proœm Suasor. & Plutar.* in lib. ad Princ. Req. Doctrin. *Requirunt rationem seu principem admittere, ne potentiæ bonum*

qu[illegible]

quod habere videntur, impediat, si astringat & servire cogat honesto.

b) *Qui scilicet ut virtutum omnium, ita vel inprimis boni & aequi constituit normam.*

IX.

Cum enim Leges ipsæ spirent undecunque benignitatem, *a*) Magistratus qui Legem quasi loquentem referunt, *b*) eoque & eisdem comparantur, agere oportet perinde *c*.

a) L.benignius.l.nulla.de LL.l placuit.C.de iudic.
b) arg.l. nam.& ipsam.S.de LL.
c) Cic,lib.1.Offic.

X.

Ut scilicet medium inter severitatem & lenitatem nimiam servando, æquo semper legũ & sententiæ ipsarum arbitrio se submittat.

L.aut facta & l.perspiciendum.de Pœn.

XI.

Denique omnia hæc, ut magistratum ratione officii *a*) & religionis *b*) obligant, ita Principem ipsum astringent Maiestatis iure *c*.

a) *Cuius vinculo & nexu sanctionibus legum quam arctissime astricti sunt*, l. 1.§. 4. ff. ad SC. Turpil.
b) *Cum & iuramento in eam rem obligentur*. l. 14. C. de Iudic.
c) l.digna vox. C.de Legib.

XII.

Non quia is alteri subiectus sit, aut potestate

maiori cogi debeat vel possit, *a*) sed quod Maiestatis proprium sit Legi acquiescere quam ipsemet constituit civitati *b*.

a) *Neque enim legibus subiectus censeri potest qui supra easdem est, uti princeps*, l. Princeps de LL.

b) l. 3. C. de Testam. *Id enim relationis ratio qua principem inter & populũ est, requirit omnino. Adeo quidem ut par sit observationem earum à Principe ipso inchoari.* Ambros. in Epist. 32. ad Valentinianum. *Sic Reges prisci Ægypti, eo ipso quod legibus parebant, se prædicabant beatos.* Diod. Sic lib. 2. *Et Principes Græci ut Themistocles, Agesilaus & alii, non aliter Principem recte imperare quam si legibus pareret.* Plutar. in apoph. Græcor. & Lacon.

XIII.

Hoc interest, quod Princeps Legibus præsidet, magistratui vero & Lex & Princeps pariter.

Tex. & not. DD. in l. 1. C. de LL. *Thomas Aquin.* lib. 3 Politic, lectione 9.

XIV.

Vt igitur solennitatibus iuris privilegio exemptus sit, in iis tamen quæ ad singulos pertinent aut omnes *a*) nemini medio potestatis & dignitatis, hoc est maiestatis sibi commissæ, nocere potest *b*.

a) *Quia id repugnaret ipsius & reipublicæ universæ fini. Is enim est ut publice omnes, privatim singuli ab iniuria tuti sint. vi. supra sect.* 1.

b) l. ex

b) l. ex imperfecto, 23. de leg. 3. *Nec velle adeo creditur, ipso actu id conari vijus, nisi forte sit aliquid quod non lædat alium, & prosit potenti, vel crimen supplicantibus indulgeat*, l. rescripta. de precib. Imp. offer.

X V.

Vnde fit ut privilegia ipsa quoque, puta, quæ princeps uti legibus solutus constituit *a*) nunquam aliter accipienda sint quam si ius tertii non lædant *b*.

a) L. 1. de Const. Princ.

b) d. l. rescripta. & tot. tit. C. de prec. Imp. off.

XVI.

Illud tamen quæstione dignum videtur, quænam Leges in Republica bene constituta optimæ sint: Qua de re ex sententiis sapientiorum statuimus, rogandas eas pro natura & qualitate Populorum.

Vt tamen quam maxime rationi conveniant & legibus divinis. Magnam proinde Principum, qui rempublicam vel fundant, vel conservant, oportet prudentiam esse, talemque etiam quæ naturam civium quam maxime habeat exploratam.

XVII.

Sed quæritur, præstetne in republica Iure Scripto, an vero moribus seu iure non scripto uti: *a*) & quidem nos ius scriptum præferẽdum censemus *b*.

qua tamen principem maxima præditum esse oportet.

b) *Quia enim eum ipsius Reipubl. negotia tenent, & ipsa per se gravissima, consequatur oportet ut cognitionibus litium in causis singulis operam sufficientem interponere nequeat.*

X V.

Hoc tamen de Principe grandioris imperii accipiendum, siquidem Comiti aut Baroni regionis exiguæ laudabile putamus, ut ipse, quoties ei à negotiis Reipubl. vacare licet, cognitionibus intersit.

Nam qui hac in quæstione Dominum Tartarorum, Regem Persarum, aut Galliæ, maioremque omnibus illis Regem Hispaniæ Regulis comparare velit ditionis minutæ, omnium absurdissime sit acturus: Vt recte Bod. tradit lib. 4. de Rep. c. 6. per tot.

X V I.

Hi enim cum fere non tam Principes, quam Magistratus hæreditarii vel beneficiarii sint, proprie ad iudicia exercenda tenentur.

Plerique enim Vasalli sunt Imperatorum, Regum, & Principum maiorum, à quibus scilicet Iurisdictiones & Imperia beneficio (quod dicimus) feudali concessa sunt, tot. tit. quis dic. Dux in Vs. feud. *Nisi quod quampauci illa etiam iure Allodii, hoc est, patrimonii teneant. Sic Princeps Auraicus Principatum suum in Gallia adeo iure allodii tenet, ut magistratus ipsius ibidem fruantur pleno iure Maiestatis. Quod tamen*

tamen de Duce Sabaudiæ, Lotharingiæ, Mediolani, Florentiæ dici non potest. Cum omnes hi vicarii sint Imperii Romani.

XVII.

Vnde est, quod à cognitionibus ipsorum fere ad Tribunalia Principum maiorum ordinaria provocatione solet appellari, *a*) eoque non minus iudiciis quam iure quasi Principatus, subiecti maioribus sunt *b*.

a) *In Germania quidem ad Cameram Spirensem, in Italia ad Imperatorem, nisi quod privilegio nonnulli eximantur. In Gallia vero ad Parlamenta Regni.*

b) *Est enim ea subditorum & vasallorum in Principes obligatio, ut Iurisdictionem & imperium quod habent vicaria teneant possessione ac iure.*

XVIII.

Magistratus denique omnes cum à Maiestate suprema ius suum teneant, mandatis etiam eorum tenentur.

Tot. tit. C. de mandat. princ. *item* tit. C. de Diversf. rescrip. & pragmat. sanction. per tot.

XIX.

Ita tamen ut illa in causis singulorum cum modo habenda sint, nec, si ius vel publicum vel ullius privatum lædant, unquam admittenda, generalibus sanctionibus provisum sit.

L. 3. & l. Rescripta penult. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. Si contra ius vel util. Publ.

XX.

Adeo quidem ut si alicui tantum ex secutio mandata sit, ad eum pertineat cognitionem interponere de precum *a*) supplicantis veritate *b*.

a) *Quibus scilicet rescriptum Principale impetratū est.*
b) l.etsi.4.C.eod.tit.

XXI.

Ex quibus evenit tandem, non minorem magistratuum potestatem in cognitionibus esse de executione caussarum, quæ mandato Imperiali, quam quæ requisitu tribunalis ordinarii ad eos devolvuntur.

Namque & is nihil aliud cognoscit, quam an sit iudicatum, nisi tamen sententia dicatur dolo aut fraude obtenta l.si prætor 7 §.*ubi vid.* D. Bus. de iudic. *Prorsus ut* in d. l.4. C. Si contra ius. *non quidem de rescripto cognosci dicitur, oportere tamen iudicem cognoscere de precum veritate.*

XXII.

Num igitur, ut Innocentius Papa constituit, *a*) sententia à delegato Principis lata, iudici ordinario exsecutioni mandata, effectui danda sit, licet ordinarius ipse intelligat eam iniquam? *b*) Non putamus.

a) C.pastoralis.§. quia vero.ex.de off.& potest.Iud. delegat. *Glossator quidē id caput varius ambagib. explicare conatur, mentē tamen rescribetis esse, nullā ordinario de sententia delegati cognitionem*

tionem competere, ratio ibidem subiuncta convincit palam, quia sc. delegatus ille sit ordinario maior.

b) *Idque consequens superioribus est, argumento puta à maiori ad minus ducto. Adde* D. Bronch. Cent. 4. Enant. c. 13.

XXIII.

Quid ergo si Magistratus rescripta iuri, veritati, aut rationi adversa deprehendat, mandatum interim à parte secundum impetretur tenoris eiusdem? Principem certiorem faciet rei sibi deprehensæ, *a*) unaque se religione duci, ne officii ac iurisiurandi excedat metam *b*.

a) Nov. 17. c. deinde. I. *& ibi DD.*

b) *Solent enim Magistratus ubique terrarum fere in Leges & Iura Recepta iurare. Quod & Iure Romano, ut fieret fuit cautum,* l. item nos novam. 14 C. de Iudic.

XXIV.

Sique magni interesse vel publice vel unius omnium intelligat, tutius putamus id etiam tertio atque iterum fieri, quam exsequi rescriptum iuri aut veritati adversum.

Cum enim in leges iurarint, his quoque, quibus adversus ius generale præiudicio tertii rescripta admittere vetantur, adeoque reiicere iubentur diserte (ut in d. l. rescripta. C. de prec. Imp. oft. l. ult. C. si contra ius vel utilit. publ.) *censentur obligati.*

XXV.

Adeoq; renunciare potius muneri sibi mandato, aut, si fieri posset, saltẽ in causa ista, quam agere iniustitiæ ministrum.

Exemplo sit Cancellarius ille Burgundiæ Ducis, qui potius habuit, munere suo carere quam Principis rigidum mandatum exsequi. Quem tamen & Princeps in dignitate continuavit, & constantiam viri deprehendens, à proposito destitit. Sic & Petronius Syriæ præses à Caligula iussus statuam Imperatoris in templo Iudæorum erigere, animadvertens id sine vi ac seditione fieri non posse, Caligulam monuit sæpius. Qui tamen à proposito non destitit, periit tamen priusquam minas Petronio eam ob rem decretas vel propositum suum exsequeretur.

XXVI.

Num vero, si addita clausula sit de causæ veritate, Iudici non amplius inquirendũ, decretum exsequi religione boni Magistratus salva possit, videamus. a) Sed nos id non putamus admittendum b.

a) *Dubium movet, quod decreta Magistratuum etiam iniqua pro iure sint,* l. pen. de Iust. & Iure. *& res iudicata pro veritate,* l. res iudicata. de Reg. Iur. *Vt de Principis decreto, in proposito saltem, dicendum idem multo magis videatur. Adde quod pessimi exempli futurum sit, per mittere Magistratui, de decreto Principis cognoscendi potestatem.* Bod. lib. 3. de Rep. c. 4.

Lex enim nostrum dere[illegible]ripius [illegible] archivum co[illegible] itoviim

tionem requirit quam rebus indicatis, idque etiamsi, illa postposita, sola exsecutio ei sit iniuncta, d.l.4. C. si contra ius.

XXVII.

Nam cum Princeps & naturæ & civitatis legibus sit astrictus, *a*) nemo ei auscultare cogetur, præterquam in iis, quæ Ius vel publicum vel tertii non lædant *b*.

a) *Vid. supra* Sect.5.& 6.

b) *Alioquin & Princeps & Magistratus uterque Legem* DIVINAM *offendent*. Sap.6.cap & 2. Paralip.19. Philo de Iudic. *Et civilem adeo in natura ipsius ratione positam, una* d.l. rescripta. C de prec. Imp. off. *Vt quidem Papiniani sempiterna laus sit, qui Antonino Caracalla, sanguine fraterno madido, iubentiq; cadem ipsius excusare, invicta mente respondit;* Cædem facilius admitti quam excusari. *Vnde & Imperator eum mandavit occidi.*

XXVIII.

Quibus consequenter laudatissimam consuetudinem putamus, qua Reges & Principes in auguratione ipsi quoque in Leges & Mores maiorum iurare tenentur.

Quod hodie plerisque in locis & Rebuspub. receptum est. Optima certe ratione, ut sit aliquod vinculum religionis saltem, quo impediantur facile admittere susurrationes adulantum, de soluta ipsorum potestate. Quibus certe peius nihil unquam rebuspublicis accidit.

XXIX.

Certe quod Bodinus id rationi & maiestati

adeo

adeo ipsi parum conveniens videtur; probandum non est. Quod alias Principes difficilius sibi consuli admittant, & facilius in nefas ruant.

Aristoteles certe iam olim ætate sua nonnullos reges vinculo iuramenti astringi, nonnullos contra, annotavit. 5. Polit. *Sic & populus Romanus ipse iam olim, & ante imperium in Principes translatum pro more habuit ut in proprias iuraret leges. Latini authores passim.*

XXX.

Bona profecto ratione. Nam cum Reges potentiæ libertate accensi facilius inclinent, quo appetitus ducit, *a*) sacramenti religio saltem id præstabit, ut aliquo metu Numinis cohibeantur. *b*)

a) *Reformidant enim rationem, ceu principem admittere, ne potentia bonum, quod habere videntur, impediat, si astringat, & servire cogat honesto.* & Plut. in lib. in Princ. Req. Doctr.

b) *Quippe qui quemvis, modo non improbissimum & scelestissimum, afficit.*

APHO-

APHORISMORUM

POLITICORUM
SECTIO VIII.

DE

Magiſtratuum qualitate, Principis, item & illorum in Populum, & huius in illum neceſſitudine, & Iure, item Legibus, Præmiis, & Pœnis.

APHORISMUS I.

HIs quæ ſuperiori diſputatione dicta ſunt; conſequens illud in primis eſt, ut magiſtratus tam erga ſubditos quam Principem ipſum magnanimus *a)* ſit ac prudens *b.*

a) *Ne ſcilicet ullius timore ab adminiſtratione iuſti terreatur,* Plato lib. 9. de LL. *Facile enim deviat à Iuſtitia qui non Deum ſed homines timet,* Chryſoſt. in ſerm. de Ioanne.

b) *Ne ſcilicet imprudentem facile vel affectus vel error decipiat. Cum interim nec conſideranda ſit perſona pauperis, nec honoranda potentis:* Deut. c. 1. verſ. 13. Nov. Iuſtiniani. 82.

II.

Vnde principio quæſitum eſt, An iudices in republi-

republica bene constituta iuris ac legum imperiti admittendi sint: *a*) Quod omnino dicendum non est quamdiu peritiorum haberi copia potest, *b*) ne populo male iustitiam administrent.

a) *Dubium movet* l. penult. C. eod. cum simil.

b) *Idque maxime in magistratibus maioribus observandum est. Unde Curiæ provinciarum hodie fere ex Iurisconsultis cõstant, civitates vero maiores fere syndicos habere solent iuris peritos. Uti & magistratus Romani suos habuere assessores. vid.* Dn. Bronch. Cent. 1. Contr. 64.

III.

Quod si ii haberi difficilius queant, *a*) ceteri etiam, sed pro census, prudentiæ & probitatis præstantia admittendi, ita ut iniungatur eis in causis singulis consulere peritiores *b*.

a) *Quod vel periti pauciores sint, vel pro census tenuitate difficilius reipublicæ possint vacare.*

b) *Idque olim quoq; Romæ obtinuit, & etiamnum in plerisq; provinciis Belgicæ servatur. Qua ratione, puta, iudices tribunalium inferiorum, processus post causæ conclusionem deferunt ad Iurisconsultos. Adde &* Hotomannum in Illust. quæst. c. 28. per. t. t.

IV.

Quibus consequenter & illud disputatur, utrum præstet magistratus habere temporaneos an perpetuos. *a*) Illud in republica, *b*) hoc in Principatu probamus *c*.

a) *Videntur enim perpetui experientiam & habitum conse-*

censequi perfectiorem ad res agendas. Et praeterea occasione salariorum quae ipsis constituũtur divitias consequi maiores, ut praesumendum sit eos minus sordibus deditos fore. Quae ratio Tiberium movit ut Rectores provinciarum raro aut nunquam revocaret.

b) *Ne puta singulorum diuturna potentia reipublicae periculosa eveniat. Cui adde quod magistratus in republica plerumq; amicitiis & favore cognatorum diriguntur. Unde fieri queat ut & indigni eligantur, & eorum animi accendantur impotentia morum. Quae ratio Annibalem praetorem Cartaginensium movit, ut eos legem rogaret, quibus iudices, perpetui qui ante, in posterum annui forent* Liv. l. b 33.

c) *Sub Principe enim magistratus male munera sibi commissa administrantes facile plecti & removeri loco possunt, ut in ius locum habeat ratio thesi subiuncta, vi.* Bod. *elegantissime* lib. 4. de Rep. c 4.

V.

Quid ergo an qui subterfugiunt magistratus ad eosdem obeundos cogendi sint, videamus: & certe id quoq; distinctẽ explicandum est.

Vt quidem si potiores haberi possint aut certe aequales, inviti non cogantur, sin minus, diversum dicamus.

VI.

Deniq; & iudicem ac magistratum ab omni ambitione, *a*) corruptione, *b*) gratia, *c*) misericordia *d*) alienum esse oportet.

a) *Cicero enim perapposite.* Facilime ad res iniustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriae cupido. 1. *Offic.*

b) *Recte*

non est, quamdiu rationis & legum fines non transgreditur, cum iniuria omnium vel singulorum. Si tamen contra agat, diversum dicimus.

Neque enim Imperio Populus solus obligatus Principi est, sed ille vicissim Populo, vinculo necessitudinis, & legum, & Principatus, ut omnes à vi atq; iniuriis conservet tutos. Cum nihil absurdius sit quam si quis existimet, Populum Principis caussa esse, non Principem Populi caussa ipsius. Eleganter Marius Solomonius lib. 3. de Principatu. *Vide sup.* disp. 4. & 5. *Praclare proinde Antigonus filio immoderatius se gerenti.* An non *inquit*, novisti fili, nostrum regnum esse nobilem servitutem. Ælian. lib. 2. variar.

VI.

Quod quidem in Monarchia. hoc est, Regimine unius distincte accipiendum, ut de Dominatu & potestate eius ambige e nunquam liceat, *a*) nisi imperio in tyrannidem converso *b*.

a) *Quia in eo soli Principi ac rerum Domino Maiestas Reipub. inest. Cum Senatum proprium Authoritatis Principalis participem non habeat, sed consilium fere tantum ab ipsius nutu dependens*

b) *Nam si id fiat, quia ius & natura & civium violat ex parte sua, haud aliter populo provisum esse potest. Ut scilicet locus fiat rationi & naturae:* Arg. l. ut vim. de Iust. & iure. *Exemplo sint Athenienses in amovendis 30. Tyrannis, Romani in eiectione Regum. Et omnes Civitates Graeca, qua principio Regibus paruere, sed con-*
verso

verso Imperio eorum legitimo in dominatum, omnes amoverunt, Halicarnas. lib. 5.

VII.

In Principatu quidem facilius liceat, a) parcius tamen quam in statu Optimatum aut Populari. Nec aliter adeo, quam si vel absolutum Dominatum & Tyrãnidem occupet, vel Reip. ac ditionis eius partes alienet b.

a) *Quia in eo Senatus ipse participat quasi è Maiestate.*

b) *Sic Galli, quibus nulli Populi Principem maiori affectione & reverentia prosequuntur, sæpe quæ à Regibus alienata ex ditionibus Regni fuere, an iure facta essent, disputarunt. Et Germani etiam de donatione seu alienatione vectigalium Imperii in Principem à Carolo IV. facta ut filium ipsius VVenceslaum eligerent Imperatorem.* Naucl in Chron. gen. 46. *vide late* Hotom. illust. disp. 1 *Ut interim nihil hic addã de ficta donatione Constantini, omnib. prudentioribus semper ludibrio habita, & Pontificibus ipsis palea dicta.*

VIII.

In Aristocratico vero statu, seu eo in quo Senatus fere Principis loco est, id licet & licuit semper impune, dummodo à seditione & violentia abstineatur.

Sic enim innumera SCta Plebiscitis sunt infracta. Vide Halicarnass. & Livium *passim: adeoque renitentibus magistratibus solis impedita. Tametsi alias summa Senatus Romani authoritas fuerit, & plerumque magistratus consultus seu*

decretis eorum paruerit, idque etiam non in-bente plebe.

IX.

Multoque magis idem permissum est & fuit semper in statu Populari, quippe in quo Populus ipse una cum Senatu particeps Maiestatis ipsius est.

Vti Athenis & Romæ, durante utroque loco statu Populari, plerumque factum est. Liv. Halicarn. Plutarch. *alii passim.*



X.

Quod si lites sopiri authoritate patrum vel prudentiorum nequeant, intercessione potius magistratuum modesta, quam seditione turbida, res est componenda, ut scilicet pacata intercessione virorum prudentium dissidium sopiatur, nec secessio derivetur in seditionem.

Exemplo sint secessiones Romanorum, quæ fere sine profusione aut eversione rei vel publicæ vel ullius privatæ summo Reipub. bono confectæ sunt.

XI.

Quibus positis, consequenter videndum, quæ potestas Principum sit in Magistratus & officia ipsorum. Qua quidem in re amplissima ipsorum videtur libertas esse, eo quod in ortu rerumpublicarum Reges quoque ipsi iudiciis præfuere.

Sic enim Moyses Princeps Populi Dei, Salomo, Romulus, A-

lus, Augustus, alii, olim iudiciis vacavere. Et Consules Romani, ac Reges etiam interdum iudices sunt dicti vid. Bus. in lib. de off. Iud. cap. 1.

XII.

Nam & initio mandata Regum in causis singulis pro lege fuere *a.*) Quod tamen postea mutatum est, occasione magnitudinis in quam paulatim Regna & Civitates crevere *b.*

a) *Iustin. & Salust.*

b) *Cum puta negotia publica eos paulatim occuparint, ut dein minus litibus privatorum potuerint vacare.*

XIII.

Vnde quæsitum est, An Principi ipsi conveniat cognitionibus causarum operam dare? qua de re ita statuimus, ut quidem possit interdum id, ac debeat, adeo extra ordinem.

Vt prudenter Hadrianus ab anu in transitu rogatus, ut eam audiret, ipse cognitione reiecta in aliud tempus, illaque respondente, NOLI IGITVR IMPERARE, *et præbuerit aures benigne.*

XIV.

Ordinarium vero iudicandi munus obire, ipsi quidem indecorum, *a*) civibus in causis singulis perniciosum sit & periculosum *b.*

a) *Cum assidua tractatione causarum & admissione partium authoritatem suam sit imminuturus,*

qua tamen principem maxima praditum esse oportet.

b) *Quia enim eum ipsius Reipubl. negotia tenent, & ipsa per se gravissima, consequatur oportet ut cognitionibus litium in causis singulis operam sufficientem interponere nequeat.*

X V.

Hoc tamen de Principe grandioris imperii accipiendum, siquidem Comiti aut Baroni regionis exiguæ laudabile putamus, ut ipse, quoties ei à negotiis Reipubl. vacare licet, cognitionibus intersit.

Nam qui hac in quæstione Dominum Tartarorum, Regem Persarum, aut Galliæ, maioremque omnibus illis Regem Hispaniæ Regulis comparare velit ditionis minutæ, omnium absurdissime sit acturus: Vt recte Bod. tradit lib. 4. de Rep. c. 6. per tot.

X V I.

Hi enim cum fere non tam Principes, quam Magistratus hæreditarii vel beneficiarii sint, proprie ad iudicia exercenda tenentur.

Plerique enim Vasalli sunt Imperatorum, Regum, & Principum maiorum, à quibus scilicet Iurisdictiones & Imperia beneficio (quod dicimus) feudali concessa sunt, tot. tit. quis dic. Dux in Vs. feud. *Nisi quod quampauci illa etiam iure Allodii, hoc est, patrimonii teneant. Sic Princeps Auraicus Principatum suum in Gallia adeo iure allodii tenet, ut magistratus ipsius ibidem fruantur pleno iure Maiestatis. Qua tamen*

tamen de Duce Sabaudiæ, Lotharingiæ, Mediolani, Florentiæ dici non poteſt. Cum omnes hi vicarii ſint Imperii Romani.

XVII.

Vnde eſt, quod à cognitionibus ipſorum fere ad Tribunalia Principum maiorum ordinaria provocatione ſolet appellari, *a*) eoque non minus iudiciis quam iure quaſi Principatus, ſubiecti maioribus ſunt *b*.

a) *In Germania quidem ad Cameram Spirenſem, in Italia ad Imperatorem, niſi quod privilegio nonnulli eximantur. In Gallia vero ad Parlamenta Regni.*

b) *Eſt enim ea ſubditorum & vaſallorum in Principes obligatio, ut Iuriſdictionem & imperium quod habent vicaria teneant poſſeſſione ac iure.*

XVIII.

Magiſtratus denique omnes cum à Maieſtate ſuprema ius ſuum teneant, mandatis etiam eorum tenentur.

Tot. tit. C. de mandat. princ. *item* tit. C. de Diverſ. reſcrip. & pragmat. ſanctiom. per tot.

XIX.

Ita tamen ut illa in cauſis ſingulorum cum modo habenda ſint, nec, ſi ius vel publicum vel ullius privatum lædant, unquam admittenda, generalibus ſanctionibus proviſum ſit.

L. 3. & l. Reſcripta penult. C de prec. Imp. off. l. ult. C. Si contra ius vel util. Publ.

XX.

Adeo quidem ut si alicui tantum executio mandata sit, ad eum pertineat cognitionem interponere de precum *a*) supplicantis veritate *b*.

a) *Quibus scilicet rescriptum Principale impetratū est.*
b) l.etsi.4.C.eod.tit.

XXI.

Ex quibus evenit tandem, non minorem magistratuum potestatem in cognitionibus esse de executione causarum, quæ mandato Imperiali, quam quæ requisitu tribunalis ordinarii ad eos devolvuntur.

Namque & is nihil aliud cognoscit, quam an sit iudicatum, nisi tamen sententia dicatur dolo aut fraude obtenta l.si præ·or 75.*ubi vid.* D. Bus. de iudic *Prorsus ut* in d. l.4. C. Si contra ius *non quidem de rescripto cognosci dicitur, oportere tamen iudicem cognoscere de precum veritate.*

XXII.

Num igitur, ut Innocentius Papa constituit, *a*) sententia à delegato Principis lata, iudici ordinario executioni mandata, effectui danda sit, licet ordinarius ipse intelligat eam iniquam? *b*) Non putamus.

a) C.pastoralis.6. quia vero.ex.de off & potest.Iud. delegat. *Glossator quide id caput varius ambagib. explicare conatur, mente tamen rescribentis esse, nullā ordinario de sententia delegati cognitionem*

tionem competere, ratio ibidem subiuncta convincit palam, quia sc. delegatus ille sit ordinario maior.

b) *Idque consequens superioribus est, argumento puta à maiori ad minus ducto. Adde* D. Bronch. Cent. 4. Enant. c. 13.

XXIII.

Quid ergo si Magistratus rescripta iuri, veritati, aut rationi adversa deprehendat, mandatum interim à parte secundum impetretur tenoris eiusdem? Principem certiorem faciet rei sibi deprehensæ, *a*) unaque se religione duci, ne officii ac Iurisiurandi excedat metam *b*.

a) Nov. 17. c. deinde. I. *& ibi DD.*

b) *Solent enim Magistratus ubique terrarum fere in Leges & Iura hoc ceptum iurare. Quod & Iure Romano, ut hoc ita fuit cautum,* l. rem non novam. 14. C de Iudic.

XXIV.

Sique magni interesse vel publice vel unius omnium intelligat, tutius putamus id etiam tertio atque iterum fieri, quam exsequi rescriptum iuri aut veritati adversum.

* *Cum enim in leges iurarint, his quoque, quibus adversus ius generale præiudicio tertii rescripta admittere vetantur, adeoque reiicere iubentur diserte (ut* in d. l. rescripta. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. si contra ius vel utilit. publ.) *censentur obligati.*

XXV.

Adeoq; renunciare potius muneri sibi mandato, aut, si fieri posset, saltē in causa ista, quam agere iniustitiæ ministrum.

Exemplo sit Cancellarius ille Burgundiæ Ducis, qui potius habuit, munere suo carere quam Principis rigidum mandatum exsequi. (Quem tamen & Princeps in dignitate continuavit, & constantiam viri deprehendens, à proposito destitit. Sic & Petronius Syriæ præses à Caligula iussus statuam Imperatoris in templo Iudæorum erigere, animadvertens id sine vi ac seditione fieri non posse, Caligulam monuit sæpius. Qui tamen à proposito non destitit, periit tamen priusquam minas Petronio eam ob rem decretas vel propositum suum exsequeretur.

XXVI.

Num vero, si addita clausula sit de causæ veritate, Iudici non amplius inquirendū, decretum exsequi religione boni Magistratus salva possit, videamus. *a)* Sed nos id non putamus admittendum *b*.

a) *Dubium movet, quod decreta Magistratuum etiam iniqua pro iure sint*, l. pen, de Iust. & Iure. *& res iudicata pro veritate*, l. res iudicata. de Reg. Iur. *Vt de Principis decreto, in proposito saltem, dicendum idem multo magis videatur. Adde quod pessimi exempli futurum sit, permittere Magistratui, de decreto Principis cognoscendi potestatem.* Bod. lib. 3. de Rep. c. 4.

b) *Ius enim nostrum de rescriptis ipsis arbitrorem cognitionem*

tionem requirit quam rebus iudicatis, idque etiamsi, illa postposita, sola executio ei sit iniuncta, d.l.4. C. si contra ius.

XXVII.

Nam cum Princeps & naturæ & civitatis legibus sit astrictus, *a*) nemo ei auscultare cogetur, præterquam in iis, quæ Ius vel publicum vel tertii non lædant *b*.

a) *Vid. supra* Sect. 5. & 6.

b) *Alioquin & Princeps & Magistratus uterque Legem* DIVINAM *offendent*. Sap. 6. cap & 2. Paralip. 19. Philo. de Iudic. *Et civilem adeo in natura ipsius ratione positam, una* d. l. rescripta. C. de prec. Imp. off. *Vt quidem Papiniani sempiterna laus sit, qui Antonino Caracalla, sanguine fraterno madido, iubentiq; cædem ipsius excusare, invicta mente respondit*; Cædem facilius admitti quam excusari. *Vnde & Imperator eum mandavit occidi.*

XXVIII.

Quibus consequenter laudatissimam consuetudinem putamus, qua Reges & Principes in auguratione ipsi quoque in Leges & Mores maiorum iurare tenentur.

Quod hodie plerisque in locis & Rebuspub. receptum est. Optima certe ratione, ut sit aliquod vinculum religionis saltem, quo impediantur facile admittere susurrationes adulantium, de soluta ipsorum potestate. Quibus certe peius nihil unquam rebuspublicis accidit.

XXIX.

Certe quod Bodinus id rationi & maiestati adeo

adeo ipsi parum conveniens videtur; probandum non est. Quod alias Principes difficilius sibi consuli admittant, & facilius in nefas ruant.

Aristoteles certe iam olim ætate sua nonnullos reges vinculo iuramenti astringi, nonnullos contra, annotavit. 5. Polit. *Sic & populus Romanus ipse iam olim, & ante imperium in Principi translatum pro more habuit ut in proprias iuraret leges. Latini authores passim.*

XXX.

Bona profecto ratione. Nam cum Reges potentiæ libertate accensi facilius inclinent, quo appetitus ducit, *a)* sacramenti religio saltem id præstabit, ut aliquo metu Numinis cohibeantur. *b)*

a) *Reformidant enim rationem, ceu principem admittere, ne potentiæ bonum, quod habere videntur, impediat, si astringat, & servire cogat honesto &* Plut. in lib. in Princ. Req. Doctr.

b) *Quippe qui quemvis, modo non improbissimum & scelestissimum, afficit.*

APHO-

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO VIII.

DE

Magistratuum qualitate, Principis, item & illorum in Populum, & huius in illum necessitudine, & Iure, item Legibus, Praemiis, & Poenis.

APHORISMUS I.

HIs quae superiori disputatione dicta sunt; consequens illud in primis est, ut magistratus tam erga subditos quam Principem ipsum magnanimus *a*) sit ac prudens *b*.

a) *Ne scilicet ullius timore ab administratione iusti terreatur*, Plato lib. 9. de LL. *Facile enim deviat à Iustitia qui non Deum sed homines timet*, Chrysost. in serm. de Ioanne.

b) *Ne scilicet imprudentem facile vel affectus vel error decipiat. Cum interim nec consideranda sit persona pauperis, nec honoranda potentis* Deut. c. 1. vers. 13. Nov. Iustiniani. 82.

II.

Vnde principio quaesitum est, An iudices in republi-

republica bene constituta iuris ac legum imperiti admittendi sint: *a*) Quod omnino dicendum non est quamdiu peritiorum haberi copia potest, *b*) ne populo male iustitiam administrent.

a) *Dubium movet* l. penult. C. eod. cum simil.

b) *Idque maxime in magistratibus maioribus observandum est. Unde Curiæ provinciarum hodie fere ex Iurisconsultis constant, civitates vero maiores fere syndicos habere solent iuris peritos. Uti & magistratus Romani suos habuere assessores. vid.* Dn. Bronch. Cent. 1. Contr. 64.

III.

Quod si ii haberi difficilius queant, *a*) ceteri etiam, sed pro census, prudentiæ & probitatis præstantia admittendi, ita ut iniungatur eis in causis singulis consulere peritiores *b*.

a) *Quod vel periti pauciores sint, vel pro census tenuitate difficilius reipublicæ possint vacare.*

b) *Idque olim quoq; Romæ obtinuit. & etiamnum in plerisque provinciis Belgicæ servatur. Qua ratione, puta, iudices tribunalium inferiorum, processus post causæ conclusionem deferunt ad Iurisconsultos. Adde &* Hotomannum in Illust. quæst. c. 28. per tot.

IV.

Quibus consequenter & illud disputatur, utrum præstet magistratus habere temporaneos an perpetuos. *a*) Illud in republica, *b*) hoc in Principatu probamus *c*.

a) *Videntur enim perpetui experientiam & habitum conse-*

censequi perfectiorem ad res agendas. Et praeterea occasione salariorum quae ipsis constituũtur divitias consequi maiores, ut praesumendum sit eos minus sordibus deditos fore. Quae ratio Tiberium movit ut Rectores provinciarum raro aut nunquam revocaret.

b) *Ne puta singulorum diuturna potentia reipublicae periculosa eveniat. Cui adde quod magistratus in republica plerumq; amicitiis & favore cognatorum diriguntur. Vnde fieri queat ut & indigni eligantur, & eorum animi accendantur impotentia morum. Quae ratio Annibalem praetorem Cartaginensium movit, ut eos legem rogaret, quibus iudices, perpetui qui ante, in posterum annui forent* Liv. l.b 33.

c) *Sub Principe enim magistratus male munera sibi commissa administrantes facile plecti & removeri loco possunt, ut in ius locum habeat ratio thesi subiuncta, vi.* Bod. *elegantissime* lib. 4 de Rep. c 4

V.

Quid ergo an qui subterfugiunt magistratus ad eosdem obeundos cogendi sint, videamus: & certe id quoq; distincte explicandum est.

Vt quidem si potiores haberi possint aut certe aequales, inviti non cogantur, sin minus, diversum dicamus.

VI.

Deniq; & iudicem ac magistratum ab omni ambitione, *a*) corruptione, *b*) gratia, *c*) misericordia *d*) alienum esse oportet.

a) *Cicero enim perappositè* · Facilime ad res iniustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriae cupido 1. *Offic.*

b) *Recte*

b) *Recte nimirum Horatius Sat. 2. lib. 2.*
Dicam si potero, male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

c) *Amicitiæ aut favoris.* Plutarch. in Polit. Cic. 3. Offic.

d) *Hanc tamen hic non pro virtute, quæ charitatis Christianæ comes necessaria, sed pro iudicus in pauperes & afflictos iustitiæ & æquitatis remissione accipimus. De qua dictum;* Non miserebere pauperis in iudicio. *Deuter.*

VII.

Nec minus etiam ab odio aut severitate, cum hæc quoque prudentiam & candorem in iudice requisitum vel impediant vel obscurent.

Recte nimirum Plutarch. Æqui iudicis est, nihil in odium alicuius audire vel in gratiam, sed sincere ad ius reddendum omnia in causa expendere, *in lib. de Off. Audit.*

VIII.

Magnanimitatem proinde quoque non talem intelligimus quæ adversus Principem in contumaciam *a*) aut adversus subiectos in crudelitatem cedat, sed quæ ipsa quoque communi virtutum tramite ducatur rationis ac modi *b*.

a) *Recte nimirum Seneca:* Apud Reges etiam quæ prosunt, ita tamen, ut delectent, suadenda sunt. *In proœm. Suasor. & Plutar.* in lib. ad Princ. Req. Doctrin. *Reges mitigant rationem seu principem admittere, ne potentia bonum* qui

quod habere videntur, impediat, si astringat & servire cogat honesto.

b) *Qui scilicet ut virtutum omnium, ita vel inprimis boni & aequi constituit normam.*

IX.

Cum enim Leges ipsae spirent undecunque benignitatem, *a*) Magistratus qui Legem quasi loquentem referunt, *b*) eoque & eisdem comparantur, agere oportet perinde *c*.

a) L.benignius.l.nulla.de LL.l.placuit.C.de iudic.
b) arg.l. nam & ipsum.S.de LL.
c) Cic.lib.1.Offic.

X.

Vt scilicet medium inter severitatem & lenitatem nimiam servando, aequo semper legũ & sententiae ipsarum arbitrio se submittat.

L.aut facta & l.perspiciendum.de Poen.

XI.

Denique omnia haec, ut magistratum ratione officii *a*) & religionis *b*) obligant, ita Principem ipsum astringent Maiestatis iure *c*.

a) *Cuius vinculo & nexu sanctionibus legum quam arctissime astricti sunt*, l. 1.§. 4. ff. ad SC. Turpil.
b) *Cum & iuramento in eam rem obligentur*. l. 14. C. de Iudic.
c) l.digna vox. C.de Legib.

XII.

Non quia is alteri subiectus sit, aut potestate

P maio-

maiori cogi debeat vel possit, *a*) sed quod Maiestatis proprium sit Legi acquiescere quam ipsemet constituit civitati *b*.

a) *Neque enim legibus subiectus censeri potest qui supra easdem est, uti princeps*, l. Princeps de LL.

b) l. 3. C. de Testam. *Id enim relationis ratio quae principem inter & populū est, requirit omnino Adeo quidem ut par sit observationem earum à Principe ipso inchoari.* Ambros. in Epist. 32. ad Valentinianum. *Sic Reges prisci Ægypti, eo ipso quod legibus parebant, se prædicabant beatos.* Diod. Sic lib. 2. *Et Principes Græci ut Themistocles, Agesilaus & alii, non aliter Principem recte imperare quam si legibus pareret.* Plutar. in apoph. Græcor. & Lacon.

XIII.

Hoc interest, quod Princeps Legibus præsidet, magistratui vero & Lex & Princeps pariter.

Tex. & not. DD. in l. 1. C. de LL. *Thomas Aquin.* lib. 3. Politic. lectione 9.

XIV.

Vt igitur solennitatibus iuris privilegio exemptus sit, in iis tamen quæ ad singulos pertinent aut omnes *a*) nemini medio potestatis & dignitatis, hoc est maiestatis sibi commissæ, nocere potest *b*.

a) *Quia id repugnaret ipsius & reipublicæ universæ fini. Is enim est ut publice omnes, privatim singuli ab iniuria tuti sint. vi. supra sect. 1.*

b) l. ex

b) l. ex imperfecto, 23. de leg. 3. *Nec velle adeo creditur, ipso actu id conari visus, nisi forte sit aliquid quod non lædat alium, & prosit potenti, vel crimen supplicantibus indulgeat*, l. rescripta. de precib. Imp. offer.

XV.

Vnde fit ut privilegia ipsa quoque, puta, quæ princeps uti legibus solutus constituit *a*) nunquam aliter accipienda sint quam si ius tertii non lædant *b*.

a) L. 1. de Const. Princ.
b) d. l. rescripta. & tot. tit. C. de prec. Imp. off.

XVI.

Illud tamen quæstione dignum videtur, quænam Leges in Republica bene constituta optimæ sint: Qua de re ex sententiis sapientiorum statuimus, rogandas eas pro natura & qualitate Populorum.

Vt tamen quam maxime rationi conveniant & legibus divinis. Magnam proinde Principum, qui rempublicam vel fundant, vel conservant, oportet prudentiam esse, talemque etiam quæ naturam civium quam maxime habeat exploratam.

XVII.

Sed quæritur, præstetne in republica Iure Scripto, an vero moribus seu iure non scripto uti: *a*) & quidem nos ius scriptum præferēdum censemus *b*.

a) *Dubium movet negotiorum & litium varietas & multitudo quæ sæpe cogit à iure Scripto diverti. Denique & Spartanorum status certe præstantissimus moribus constitit. Adde quod & leges ipsæ fere quæstionibus innumeris causam præbent.*

b) *Vt scilicet magistratuum potestas definita certis limitibus sit. Idque tandem pene usu omnium gentium ac nationum obtinuit, adeoque exemplo Reipublicæ Iudæorum docemur, cui, puta, ab ipso Deo Leges positæ divinæ fuere.*

XVIII.

Quod si de legum præceptis generalibus quæratur, iis videlicet, quæ talia sunt ut quam minimũ pro diversitate populorum ac locorũ obnoxia mutationi sint, *a*) meliora nulla futura Legibus Romanis putamus *b*.

a) *Qualia sunt quæ Legibus, Privilegiis, Iure ac Potestate principis & magistratuum, item Contractibus, Cautionibus, Vltimis voluntatibus, Pœnis, Præmiis, Ordine Iudiciorum, & similibus conscripta sunt.*

b) *Quippe quæ maxime Legibus divinis ac naturæ conveniunt & ad verum Rerum omnium Publicarum, finem contendunt. Vnde eadem etiamnum, & quidem excusso iam olim Romanorum iugo, plerisque gentibus, Galliæ, Hispaniæ & aliis receptæ sunt. Certe Polonorum, Danorum, Suecorum Leges, licet non directo Romanis conveniant, in plerisque tamen ex eis perhibentur deprompta.*

XIX.

Nec ad rem facit, quod complura ex iis & mutata

mutata usu sunt, & mutantur quotidie: quia id potissimum ad minutiora pertinet, & rerum ipsarum quasi momenta.

Vt in ordine processus, terminorum, forma probationum & in iis quæ quotidie mutari pro re nata oportet, tantum Rem interim ipsam & contenta pleraque Legum nostrarum, summo rerum omnium publicarum commodo putamus vel receptam vel recipiendam. Quæ quidem ratio facit ut Angli, Poloni, Dani & pleraque adeo gentes humaniores in legationibus, & actionibus adeo publicis plerisque fere illas tanquam tractationis universæ adhibeant ornamenta.

XX.

Denique si Leges omnes tales esse oportet, ut contendant ad reipublicæ, hoc est, civium omnium salutem: Principem quoq; ipsum præsidem illarum eo anniti decet in administratione sua, ut æqualitas optima servetur civibus singulis.

Philo in lib. 2. de vita Moisis. Plutarch. in tract. in Princ. Req. Doctrinam.

XXI.

Non quidem illa quæ inepta paritate bonorum vel omnium communionem vel æqualem partitionem introducat, sed quæ id potissimum efficiat, ut suum cuique conservetur.

Recte enim Plin. in epistol. *in republica pari personarum ac rerum omnium æqualitate nihil fore inæqualius. Vnde probabile est, Vtopiam Mori,*

P. 3 *aut Rem-*

aut Rempublicam Socratis non tam ex animi sententia sapientissimorum istorum praescriptam, quam ostentandi ingenii causa. Et Socrates ipse, cum libros de Republica Platonis legisset, dixisse fertur: Quam multa de me adolescens iste mentitur.

XXII.

Quaeque bonos ac bene merentes praemiis afficiat, improbos vero poenis pro delictorum qualitate compositis.

Praemia dicimus salaria & honores, de poenis vide elegantissime differentes iuris authores in l. perspiciendum. & l. aut facta de Poen.

XXIII.

Illud recte quaeritur, liceatne Principi sub praetextu praemiorum auferre alicui privato ius suum *a*) quod dicendum non putamus nisi ex gravi eaque publica causa *b*.

a) *Qua de quaestione Doctores* in l. si verberatum. §. 1. de rei vind.

b) *Alias enim singulorum dominus foret. Quod tamen dicendum non est, vi. sup. sect. 5.*

XXIV.

Num autem restituere verum pretium teneatur, an vero sufficiat modicum dari gratia honoris: nos prius probamus.

Vi. late D. Busium ad l. Lucius. 11. de Evictionibus, & *DD. plerosque ibidem. Quorum tamen nonnulli diversam sententiam secuti sunt idque argumento eorum textuum. At nos eos parum ad rem pertinere censemus.*

XXV.

XXV.

Sed cum responsum sit, Principem supra leges esse, *a*) idque maxime intelligendum sit de Legibus à civili iure profectis, *b*) quæritur: An non id saltem ius auferre alteri possit quod dependeat à iuris civilis ratione sola; *c*) Nos ne quidem id dicendum putamus *d*.

a) L.Princeps.de LL.cum similibus.

b) *DD.communiter* in l.digna vox.C.eod.*Cum puta & derogare iis possit, & abrogare etiam integris, prout ipsi videatur, occasione ita exigente.* l.1.& tot.tit.de Constit.Princip.

c) *Cuius scilicet authoritas universa ab ipso non minus hodie, quam olim à populo, dependet,* d.l.1. *Civilia præterea iura civilibus derogant recte utut naturalibus derogare non possint,* § pen. Infr.de iure nat.gent.& civ.

d) *Nam & quod iure civili ad nos pertinet nostri dominii est, arg.*tot.tit. C. & Inst. de Usucap. *Quibus consequens est id nobis invitis non posse auferri,* l.quod nostrum.de Reg.Iur.

XXVI.

Alias enim dicendum foret, aliqua saltem rescripta etiam cōtra ius impetrata locum, damno & præiudicio tertii, habere: quod tamen dici non potest.

d.l.rescripta. *Nec obstat* l.2. §.si qu[illegible] à P[illegible]incipe in fine Ne quid in loco [illegible] *quia ea recte ita accepta est,* [illegible] *Principis* [illegible] *causa* [illegible]*sta.*

XXVII.

Nisi fortasse agitur de causa præiudicii prorsus ex gui.ut de d[illegible]ione danda aut consimili, quæ causam p[illegible]em non lædat.

L. quoties. & l. universa. 4. C. de prec. Imp. offeren. *Cum enim Princeps iniuria ab omnibus amovenda cu[illegible] [illegible] oppressio et singulorum non conveniet, nec iniuria alius inferre.*

XXVIII.

Denique & illud quæsitum est, num Princeps auferendo alicui ius suum, eo ipso præsumatur c[illegible]am in eam rem [illegible] habere, quod nonnullis placuit. a) Propter tamen est id non aliter accipiendum, quam si una constet de ipsius causæ æquitate b

a) *arg* l. ex facto. 43 princ. de vulg. & subst.

b) Vt in d. l. 4. *C. um alias fere clau[illegible] adiici soleat, ne ea res, it tertio dam[illegible]*, d. l. 1. §. merito. ff. ne quid in loco publ. *Atque quæstionem de fide precum habendam, per clausulam rescripto oportet esse insertum.* l. ult. C. de diuers. rescript.

XXIX.

Ceterum quid si Princeps in rescripto referat se id decernere ex causa iusta? [illegible] quidem Alciatus simplicius id exsequendum putat, a) Menochius contra, b) & huius sententia benignior est c.

a) Reg. 3. præsump. 8.

b) Me-

b) *Menoch.* lib. 2. præſump. 10.

c) *Cum ſcilicet princeps ipſe actiones ſuas ex iuris præſcripto æſtimari velit,* l. digna vox. C. de Legib. d. tit. C Si contra ius. *Adeoque retinenda reſcripta niſi contineant clauſulam de quæſtione ſuper fide precum habenda. Minusque ad rem facit* clem. [illegible] de prob. *cui Alciatus viſus eſt, quia ea non agit de* [illegible] *ſed hoc tantum* [illegible] *electione ſua vel amicitia erga aliquem teſtanti, credendum eſſe.*

XXX.

Dominatori fortè ſit liberior hac in re quam principi poteſtas ſit, huic tamen ſemper cavendum, ne dominatum in tyrannidem convertat, hoc eſt, ne cuiq; pro arbitrio ſuum adimat.

Licet enim Dominus omnium & ſingulorum videatur, id tamen haud aliter accipiendum, quam quod nulli Senatui aut ordini reipublicæ, imperii ſui & geſtorum rationem reddat. Non etiam ut in tyrannidem convertat dominatum. Nam ſi id agat Princeps *non erit, ſed infractor divini pariter & humani iuris. Vt merito tandem eadem ratione tyrannus cenſeri debeat, qua Principatum gerens cum ſenatu.*

APHORISMORVM POLITICORUM SECTIO IX.

DE

Iure Belli, eius generibus & iustis causis.

APHORISMUS I.

EXpositis iis quæ ad Principem, Senatum & Magistratus, mutuaque eorum iura pertinent, consequens fuerit, progredi ad media externa Reipublicæ conservandæ. *a*) Primo tamen de Iure belli & Pacis dispiciendum est *b*.

a) *Idque ex methodo nobis proposita supra,* Sect. 4. aphorism. 2.

b) *Primo inquam, quia id quoque magna sui parte pertinet ad ius maiestatis, ut & accessorium superioribus censeri possit iure.*

II.

Namq; ut primum caput Reipublicæ Summæ, seu Maiestatis, constituimus ius Leg s Cōdendæ, sic recte alterum posuimus, de his quoque rebus decernendi. *a)* Vt puta tempore necessita-

cessitatis quoque, & imminente invasione externa Reipublicæ armis sit, prospectum *b*.

a) *Vt supra* d. Sect. 4.

b) *Quo scilicet utroque tempore & Belli & Pacis tuti civitate fruamur. In quo utroque procurando munus Imperatoriæ Maiestatis fere converti censetur, tex. & DD.* in Præfat. Institut. Iustiniani.

III.

Et quidem principio bellum definiendum est, quod recte fieri putamus, si dicamus idem Dissidium Publicum *a*) inter mutuos hostes constitutum *b*.

a) *Hæc vox sit generis, hostium mutuorum, differentiæ loco.*

b) *Reciproca enim inter se sunt, ut bellum nullum subsistere sine hostibus queat, nec vice versa, hostes publici sint, sine bello;* l. quos nos hostes. 134. de V.S. *Mutuos vero dicimus ob naturalem inter hostes & hostes relationem.*

IV.

Verum quidem est, hostes olim simplicius fuisse nominatos, quos nos hodie peregrinos *a*) eos vero qui nobis hostes, dictos perduelles *b*.

a) Cic. 1. Offic *Quod æqua utriusque causa sit, (cum veteres hostire pro æquare dixerint, authore Nonio) & qui nobis peregrini sunt tam suis legibus, quam nos nostris degant.* Varro lib. 4. de li: g. Latina.

b) Varro d. lo. & l. quos nos hostes, 234. de V.S.

V. Sed

V.

Sed usu humanioris ævi *a*) obtinuit, ut peregrinus etiamnum sit qui olim, hoc est, qui nec imperio nostro subiectus sit, nec conventione publica fœderis aut hospitii nobis obligatus, *b*) hostis vero cui bellum publice vel indictum sit vel illatum *c*.

a) *Lenitate verbi tristitiam rei mitigante*, Cic. d. lo. *Quanquam probabile sit per duellem etiam olim dictum fuisse hostem arg.* l. 3. ad L. Iuliam Maiest. *Nam & hostire idem quod ferire significabat, authore Festo. Vti & hostis pro adversario privato iam olim dictus est, in XII. Tabul. & apud Varron. Sed hoc per æquivocationem.*

b) *Author Varro* in Frag. de Ling. Latina.

c) *Seu, ut iuris author, decretum*, l. hostes. 118. de V. Sign.

VI.

Vt tamen ab hostib. capta capientium fiunt, ita & capta à peregrinis in finibus nostris, & vice versa fiebant illorum capta ab illis in finibus suis.

Vnde & ius postliminii (ut scilicet recipiamus ius omne in civitate, quod habuimus ante perditam illam, captivitate nobis insecuta) est inter peregrinos, qui hostes non sunt, l. 5. § in pace. de capt. & postl. *Et vero ne quis id omnino exsoletum populis omnibus autumet, animadversione dignum est, nostra ætate etiamnum id moris Moscovitis fuisse, ut qui ex nationibus sibi non coniunctis singulari fœdere vel amicitia saltem.*

saltem, vel hospitii causa ad ipsos migrarent, non aliter atque hostes haberentur. Sigism. Baro in historia Moscovitarum. *Idemque hodie in India Orientali & Occidentali deprehensum fuisse compertum est, unde servitiorum usus hodie in Europam reducitur*

VII.

Qui nec cives, nec hostes, nec peregrini fuere, proprio quodam nomine externi dicti videntur *a.*) Licet hos quoque Romani interdum peregrinos dixerint *b*) ut & rursus peregrinos subinde externos *c.*

a) L. non dubito. 7. de capt. & postl. revers. *licet varie is textus legatur.*

b) *Ut apud Livium saepe ad differentiam civium urbanorum. vid. supra* Sect. 2

c) *Siquidem isti vel maxime externi sunt. Quippe quod nomen universale est. Dicuntur enim externi, quasi aliena terra, Sexto Pompeio Festo authore.*

VIII.

Qui igitur hostes non sunt, vastationibus tamen & invasionibus grassantur, etiamsi Rempublicam universam oppugnent, adeoque in periculum adducant, Latrones, Praedones, aut Piratae sunt.

Quod morus non sit eis bellum denuntiari, d. l. hostes de V. Sign. *Ex quibus evenit, quando Latini authores bellum pyraticum dicunt, item quando bellum servile.* Cicer Liv. Flor. Plutarch Halyc.

lyc. *alii passim, belli vocem paulo latius accipi, puta pro publica armorum in alios motione.*

IX.

Et cum his igitur belli ius nō est *a)* nec quod capiunt ipsorum fit *b)* & si quis ab iis captus redierit, cessat postliminii ius universum *c.*

a) L. hostes. 24. l. Latrones. 27. de Capt. & Postl.
b) L. Postlim. §. a Piratis. eod. tit.
c) d. l. 24. in Princ.

X.

Quando vero ex his constat, qui sint hostes, eoque nobis definitio belli satis videtur examinata, proximum est, ut de iustis eiusdem videamus causis.

Quarum quidem principem constituimus, necessitatem arripiendorum armorum. Nam cum Principes Reipublicæ conservandæ sint causa, omnia potius simulare, nec exigua perpeti debent, quam civitatem in tantum damnum, aut discrimen deducere, quantum à bello metuēdum plerumque est, vide Bodin. 5. de Republ. c. ult. prope fin. *Recteque ille ad Samnites: Iustum bellum quibus necessarium; & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.*

X I.

Vnde hoc loco quærendum, utrum bellum ab Ordinibus Belgicæ nuper in Hispanos motum, fuerit iustum? Quod quidem adeo extra omnem dubitationem statuimus, ut censeamus

se Rei-

le Rei Politicæ omnino ignaros fateri, quibus electa sententia diversa est.

Ratio enim summa necessitatis fuit, quam persecutio & oppressio singulorum civium, & quidem eorũ, qui etiam ex Illustrissima nobilitate, peperit. Secundo quod hoc bellum universum à principio pene civile fuerit, eoque res occasione Pacis Gandavicæ componi & potuerit & debuerit.

XII.

Alioquin enim Romanos, alioquin omnes civitates Græcas, alioquin Danos, alioquin innumeras nationes ac populos iniusta bella gessisse dicemus, quibus potentiæ Regum, convertentium Principatum in Dominationem, extrema necessitate compulsi restitere. Quod tamen perabsurdum fuerit.

Cum id nemo unquam historicorum senserit, nec potuerit, adeo cum ratio dictet, neminem sibi possessionis (quæ tamen maxime in facto consistit, l. 1. §. 3. de acquir. poss.) *causam mutare posse,* l. 3 §. illud quoque. eod. tit. *Et vero quis unquam Senatum Romanum culpavit, quod damnaret, Neronem, Sex. Aurel Victor. aut Maximinum dignitate privaret? Quis unquam Danos, quod Regem Christianum imperio spoliarent? At vero quis unquam Romanos, quis Græcas civitates ob amotos Reges Principatu abusos, insimulavit rebellionis? idque in bello Belgico omne tanto rectius dicitur, quod id gestum sit pro honore Dei. vi.* Iun. Brut. in lib. Vind. contra Tyrann.

XIII.

Neq; interim lis turbide aut seditiose componen-

ponenda est, sed intercedentibus, Senatu, Ordinibus Magistratuum, iisque quib. post Principem in Republica potestas est, quam pacate fieri potest.

Ita ut intentio semper bona sit, Rempublicam non turbandi, sed Principem monendi, & quoad fieri potest, reducendi, finis enim in hac re bonus vel malus, ut & alias distinguit facta, Bart. in tract. de Guelphis & Gibellinis.

XIV.

Denique iustitiam belli illius auget maxime, quod nō protinus aut directo in Regem ipsum arma sumpserint Belgæ, sed diuturna omnino secessione iis usi sunt adversus Legatos seu Gubernatores.

Principio enim utrimque certatum est nomine Regis, ut commodissima occasione, adeoque sine detrimento authoritatis suæ componere idipsum potuisse, nisi adulatores, assueti consiliis crudelissimis, quibus omnia in Indicis regionib. succedebant pro voto, id summa vi impedivissent.

XV.

Sed & occasio disputationis omnis sublata est, posteaquam præpotens Rex, *a*) sycophantarum suasu, potius censuit, Provincias eas omnes iure belli redigere in potestatem, quam imperare ullis earum tot immunitatibus dotatis *b*.

a) *Quis enim nisi doctrinæ civilis omnino ignarus dubitare*

bitare queat, iustum bellū nobis fuisse, adversus eum, qui palam nos hostes declarabat, iuraque belli nobiscum exercebat.

b) *Id nimirum & regi decretum, & dein re ipsa est tentatum (idque aliquanto tempore post pacem Gandauensem Anno 1577. publicatam, postque actum Pacis alterius Anno 78. & 79. Coloniæ Vbiorum inceptum) ductu Alexandri Pharnesii, Parmensium Ducis. Cuius prudentia tamen & benignitas tantum officii Regi Hispaniarum hoc bello contulit, quantum ex ducibus reliquis ante vel post eum nullius.*

XVI.

Et quidem ex his cùm pateat, bellum aliud internum esse, quod plerumque civile dicimus *a*) aliud externum, quod cum Populo aut Principe externo geritur *b*.

a) *Eo quod inter cives ipsos geratur. Tale erat inter Marium & Syllam, Pompeium & Cæsarem Romæ, taleque fuit hoc ipsum Belgicū, quamdiu utrimque Regii nominis prætextu bellatum est.*

b) *Aut peregrino etiam, modo tali qui nostræ civitatis non sit membrum aut pars.*

XVII.

Commode quæritur, an Principi conveniat, orto dissidio aut bello civili, partis alterutrius se præbere ducem vel caput? quod quidem ex discursu proposito patet, omnino non esse consultum.

Metuendum enim ea ex re est, ne se ipsum in exitium

aut discrimen deducat. Quod omnino futurum est, si pars altera superior sit. Sic periit Henricus VI. Angliæ Rex, cum se Lancastriæ factionis ducem adversus Hyorchos gereret. Sic alii plures.

XVIII.

Hoc ita, nisi factio aliqua directo in necem Principis, aut eversionem Reipublicæ coniurarit, tum enim necessitas exigit, summa omnino vi turbam perduellem compesci.

Nam si eo casu otiosus seditionis spectator esse malit, etiam ignavissimum quemq; in caput proprium excitabit seque ipsum protinus rei summæ videbit deturbatum. Tutius tamen erit in authores criminum vindicari, quam multitudinem ipsam, Veg. 3 de re Militari cap 4. Cic. pro Cluentio. *Nam & raritas pœnarum corrigit magis.* Sen. lib. de Ira. cap 10. *& Plebem omnino animis deiicit,* Livius lib. 2.

XIX.

Principiis tamen obviam iri tutius erit, adeo quidem, ut sive adversus ipsum & Rempublicam seditio moveatur: authores tumultus protinus obruat, *a*) sive inter partes, dissidii causas summa prudentia & authoritate amoveat *b*.

Sic Etheocles Lacedæmonius cum Chium insulam adversus Athenienses præsidio militari teneret, & milites occulte decrevissent insulæ invadere Principatum, coniurationis vero tesseram arundinem fere, secreto revelatum esset Imperatori ipse suis stipatus urbem obire capit, ac militem primũ arundine sibi obvium occidit, repente-

penteque edixit, se omnes occisurum, qui arundinem gestarent.

b) *Adeoque viros etiam alios virtute & probitate præstantes adhibeat, qui populi motus orationis dulcedine compescant. Cum partium factiones sæpe ex levissima occasione oriantur. Vt ætate Iustiniani, in imperio factio orta est, de colorum varietate, ut singuli pro aliquo, quasi Aris ac Focis dimicarent.* Procop. de Bello Pers. Zonaras in Iustiniano. *Et patrum ævo in hisce terris similis exstitit factio inter Schiringos & Vetcooperos.*

XX.

Sed cum Principem in omni actione sua iustitiam ante oculos habere deceat, tum vel maxime id in sopienda dissensione partium fieri oportet, *a*) ut sc. cogat eas vel iudicibus, vel arbitris a se datis parere, idq; sine omni argumento vel odii vel gratiæ in hanc aut istam *b*.

a) *Alias enim se exponet periculo, cui obnoxii Principes, partium duces sunt.*

b) *Sed si ulla ratione fieri possit, authoritate potius præoccupabit dissensiones, quam bellico tumultu compescat. fac. not. DD.* in l. æquissimum. de usufructu.

XXI.

Num vero Monomachiæ seu duelli usus in Republica bene constituta sit admittendus? Quæritur, at nos id omnino non putamus.

Cum enim is violentus sit, & iustitiæ iudiciorumque viã in discernẽdis litibus prætereat, caveatq; omni ratione Luc. de Pen. ad l. 1. C. de Glad. Ac-

curſ. ib. c. monomach. 2. q. 4 *probandus non eſt. Erat hic modus litium finiendarum in Dania, permiſſu Frontonis Regis admiſſus.* Saxo Grammat. in Hiſtor. Dan. *à Longobardis etiam uſus eorum in Italiam traductus videtur, & in Germania, Gallia, aliiſque regnis receptus. Sed poſtea diverſis Conſtitutionibus omnino ſublatus eſt.*

XXII.

Quid ergo ſi periculum maioris ſeditionis, aut belli etiam ea ratione ſopiri poſſit, an non interdum duellum ſit admittendum: & hoc quidem concedi poteſt. *a*) Sed non niſi permiſſione eorum, quibus de armorum uſu diſponendi facultas eſt, hoc eſt, Principis ipſius *b*.

a) *Exemplum eſt in Davide cum Goliatho, ſic & Philippus Bellus Galliæ Rex idem permiſit privilegio in Conſtitutionē Ludovici Pii, qua duellum omnino omne prohibitum erat. Adde* Cōſtitutionem *Frederici Imperatoris* de Pace Tenenda. §. ſi quis hominem. §. ſi quis aliquando. *vid.* Bodin. 4. de Republ. c. 7. Arniſ. lib. 2. Polit. c. 1.

b) l. un. C. ut armor. uſ. inſc. princ. interdict. ſit li. 11.

XXIII.

Quibus poſitis omnino Ariſtotelis ſententiam *a*) improbamus, qui latrocinia & prædationes veluti ſpecies venationis etiam augendæ rei familiaris cauſa ratione naturali putat admiſſa *b*.

a) *Quam*

a) *Quam tract.* 1. Polit. 5. cap.

b) *Sed intentus in eo discursu fuit in morem priscorum, qui nulla religione ducebantur venatum irent ac* Latrocinatum. Plutarchus in Theseo. *Miramur etiam Bodin. tanta lectionis & experientia virum, cum morem veluti singularem, tantum ab ultima Historiarum memoria repetiisse, puta Theseo, & more veteri Gallorum: cum constet avorum nostrorum atate, & quidem paulo ante, quam rei Frisica & Transisulana, summa seu Principatus vicarius ad domum Burgundiacam deferretur; ex potentioribus agrorum possessoribus etiamnum vastationibus & latrocinius maximis invicinos grassari solitos. Est tamen id vita genus, uti Barbarum ac Gigantaum, à Deo ipso improbatum.* Genes. 6. *Naturali vero rationi id non convenit omnino, utpote Iustitia suum cuique tribuenti prorsus adversum, ut à tanto Philosopho prudentius in rem prasentem opportuerit animadversum. Et multo religiosius iuris conditores hunc modum acquirendi dominii iure naturali omnino repudiant.* tot. tit. D. & Inst. de acq. rer. dom. *utpote veram non simulatam profitentes Philosophiam.*

XXIV.

Gravius tamen in eo labitur, quod facultatem prædandi privatam, & modum acquirendi per militiam confundit.

d. c. 5. *Cum interim pradari ac latrocinari ausu privato & gentium, & natura, & civili iuri adversetur, ex militia lucrum captare, iuri naturali, gentium, & civili non item. Id-*

que eo quod iniurii non videamur vim iis inferendo, qui nobis violandis & offendendis, armis & consilio sunt parati, uti omnes hostes arg. l. ut vim. de Iustit. & Iure.

XXV.

Quibus consequenter & illud quæritur recte, utrum si nonnulli homines nobis videantur ita socordes nati, ut imperiis eos oporteat subesse, ad subigendos eos privata potestate, ratione naturali bellum iustum suscipiatur. quod perinde non putamus.

Contra enim laudati Romani, quod nemini bellum denunciarent, nisi per legatos seu fetiales prius postulassent damnum sibi illatũ resarciri. Quo negato demum bellum suscipiebant. Fest. & Varr.

XXVI.

Num igitur si quis Princeps civitatis saltem tales alios iudicet, Principatum in eos acquirẽdi causa, bellum moveat iustum, videamus: & hoc quidem probabiliter dicimus, modo id potissimum faciat, populi istius conservandi causa, & consulendi pariter civitati suæ.

Quod si ea de re dubitet, tutius fuerit & iustius, imperio proprio degere contentum.

XXVII.

Iustum enim bellum, nisi quod aut necessitas exprimat gravi iniuria provocatis, ut aliter

ter ipsis nequeat provideri, aut conservandi populi alterius causa, ab initio nullum statuimus.

Alioquin enim nulla differentia inter prædones & hostes futura sit, & prætextu belli, cuiq; alterius civitatem invadere liceat impune.

XXVIII.

Sed quod ab initio iniustum est bellum, progressu iustum ea ratione fiet, si quos nobis hostes deligimus, ii se mutuis armis defendant.

Nam cum ex horum parte iustum sit, & hostes ac hostes inter se relata sint, omnino fieri nequit, ut alteri latrones sint. Ita utrosque hostes esse oportet, & consequenter bellum utrorumque iustum, licet causa ex una parte sit iniusta. Vindicem tamen Deum sentiet, iniusta de causa bellum movens.

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO X.

DE

Iure Pacis, Induciarum, Fœderum Publicorum, & Fidei publicæ universæ.

APHORISMUS I.

BElli finis Pax eſt, *a)* quam definimus conventionem publicam perpetuo ab armis ceſſandi *b*.

a) *Recte enim Feſtus eam à pactione deducit, in voce* Pacem.

b) *Vt ita publica tranquillitas conſtituatur.*

II.

Non igitur omnis publica conventio Pax dicitur, quod ex Iuriſconſulti verbis colligendum videbatur, *a)* ſed ſunt ea inter ſe veluti genus & ſpecies compoſita, ita puta ut conventio publica pacem velut ſpeciem comprehendat *b*.

a) l. conventionem. ſ. de Pact.

b) *Quam-*

b) *Quamobrem iuris author* d.lo.*nihil aliud tradere statuit, quam esse conuentiones nonnullas publicas, quas puta duces belli ineunt, ut verba hæc, quæ fit per pacem, ab eo exempli loco, causa rei declarãdæ sint inserta. Licet Principes quoque ipsi hoc modo paciscantur, ut ad duces id restringendum non sit.*

III.

Fiunt enim pactiones etiam causa induciarum, idemq; redimendorum captivorum, pugnæ suscipiendæ & consimilium quæ occasione belli peragũtur pro re nata, uti & fœderum interdum sine occasione belli.

Omnesque eas communi nomine conventionum publicarum venire ma[illegible] est, DD. communiter in d.l. 5. ff. de Pact. *Sic inter Cyrum & A[illegible]rios Xenphon refert pactum, ut agricolis pax esset armatis bellum.* Xenoph. lib. 5. Κυροπαιδείας

IV.

Male vero Bodinus ius omne id communi nomine Fetiale nominat. *a*) Cum ius fetiale non ipsum ius conventionum publicarum sit, sed munus & potestas fetialium ipsorum *b*,

a) Lib. 5. de Repub. c. 6.

b) *Qui fidei publicæ præerant, & per quorum cognitionem ut iustum bellum esset, effici solet. Et ex his 4 mittebantur, qui res ablatas repeterent. priusquam bellum alicui conciperetur.* Varro de lingua Lat. vide Dionys. Halicarnass. lib. 2. & V[illegible]tron. de vita P. Rom[illegible]. *Erat autem collegium eorum, ad quod ex SC [illegible] aut pace referri solet. Quod constat ex* Livi[illegible] lib. 36.

VII.

Quid ergo de iis dicemus qui ipsi fidem fregerint nobis, & tametsi videatur fides iis non habenda, *a*) sanctius tamen putamus eis vel fidem non dari, vel datam servari *b*.

a) Arg. l. si convenerit. 14. ff pro Soc. *cum paria delicta mutua pensatione tollantur*, l. viro & uxori. 39. sol. matr.

b) *Vim vi repellere licet* l. ut vim. De Iust. & Iu. *qua ratione & dolo dolum avertere concessum sit, non tamen vindicare. Alioquin enim patentem portam fraudi aperiamus. Sic Phocenses Romanorum hostes, cum pacti essent nihil hostile à Romanis se passuros, ob solitam perfidiam, à militibus Romanis, invito consule direpti sunt. Pro qua re, deditis libertas data, & agri erepti sunt restituti.* Liv. lib. 37. & 38.

VIII.

Sed quid de infideli, seu hæretico, quem dicunt an & cum hoc aliquod fidei commerciũ sit, ideamus, nos certe quare ei fides habenda non sit, nullam rationem videmus.

Consilio quidem Constantiensi aliud cautum erat, idq; opprimendi Hussi causa. Sed reprobata hæc sententia, uti absona ratione est. Ita ut Eckius, centesimo post anno axiomate eodem in Lutherum usus, sem et plerique exposuerit deridendum. Ad. e Ambros. lib. 3. Offic. c. 10. *Certe inauditum illud semper ante fuit.*

IX.

Quibus generatim præmissis, de induciis viden-

videndum eſt. Eas igitur definimus conventionem mutuorum hoſtium publicam de exercitio armorum hoſtili pro tempore *a*) intermittendo. Qua ratione potiſſimum differunt à pace *b*.

a) *Vnde Varro eas pacem temporaneam dixit, non tamen ut eas definiret, ſed ut alluſione quadam rem explicaret.* Gell. 1. Noc. Att. c. 25.

b) *Cum pacis propriæ cauſa perpetua ſit. vi. ſupra* Aphor. 1.

X.

Vnde & inducias ineunt quibus pacem inire interdictum eſt. Quomodo puta, ducibus belli & exercitus inducias contrahere permiſſum eſt, etiamſi modo ſint legati. *a*) Pacem tamen inire non poſſunt *b*.

a) *Vt recte Doctores tradunt* in d. l. 5. ff. de Pact.

b) *Diverſitatis ratio eſt, quod ius belli & pacis ad ius mieſtatis & reip. ſummam pertinet,* l. 3. ff. ad L. Iul. Mai.

XI.

Quas igitur duces belli conventiones ineũt præter induciæ, quia in pacis genus non cadũt, Sponſiones dictæ ſunt.

Sic Poſthumius Conſ. Rom. in concione populi ait: Cum me ſeu turpi, ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi: quia tamen, quando iniuſſu Populi facta eſt, non tenetur Populus Romanus. Liv. lib. 8.

XII.

Vnde recte S. P. Q. R. *a*) fœderibus ducum ſuo-

suorum, nisi vel Populus ipse ea iussisset, vel authoritas Senatus intervenisset, nunquam se iudicabat obligatum *b*.

a) *Religiosissimus certe & constantissimus fidei publicæ cultor & observator.*

b) *Salust.* de Bel. Iugurt. *Nam si non contraxissent conditione hac, si Senatus aut populus ratum habeat: improbata Sui. P. Q. pactione, quia duces ipsi non servata fide ius gentium violare credebantur, hosti dedebantur,* l. ult. ff. de Legation. *Exempla sunt passim obvia, apud Livium, Plutarch. Polyb. Dionys.*

XIII.

Vtrumq; tamen illud cum modo accipiendum, ut puta legatis inducias tantum breviores inire permissum sit: longiores, quia hæ interdum periculum adferre solent, non item.

DD. in d. l. 5. arg. l. qui Romæ. §. Callimachus. ff. de Verb. Obl. *Sic in bello hoc Belgico inducias quaslibet breviores pro re nata duces belli contraxere, sed longiores has postremas Ordines provinciarum ipsi.*

XIV.

Sed utcunque in imperiis non ita magnis nullas inducias inire inconsulto Principe aut Populo lege statui possit. *a*) in maioribus tamen id non ita stricte potest dici *b*.

a) *Vti id Græcis cautum lege fuit.* Thucyd. lib. 5. *Nam cum bella hi fere in propinquo gerant, consulendi facilis occasio est.*

b) *Cum exercitus eorum sæpe in locis remotissimis agant. Per*

gant. per enim absurdum fuerit Paulo AEmilio, Marco Crasso, Pompeio Magno, Scipioni Aphricano vel in extremis vel alterius orbis partibus vexilla ducentibus, hac in re finem praescribere ac modum.

X V.

Denique & legati interdum pacem perpetuam ineunt, at non sine mandato ac permissione speciali *a*) Mandato enim generali utcunque amplissimo id non censemus contineri. *b*) Nisi tamen contrahant ea lege si principi visum fuerit. *c*)

a) *Idem rogatione Trebonii tribuni plebis, qua Crasso Syria, Pompeio Hispania in quinquennium assignata fuere, comprehensum erat.* Dion. lib 3). *Et in foedere cum Volscis Spurii Cassii Cons. arbitrio leges pacis relicta erant,* Dion. Hal lib 8.

b) *Nam cum in privatis transigere ex mandato generali difficilius liceat,* l. mandato generali. de Procur. *in publicis idem multo magis erit. Vt male hac in re Duarenus dissenserit à communi DD. schola,* in d. l. 5. de Pact.

c) *Tum enim negotium ex parte legati totum conditionale est.*

X V I.

Quod si Princeps ipse exercitum ducat, longe alia ratio est, eo quod hic liberam de ea disponendi habeat facultatem.

L. 3. ff. ad l. Iul. Mai. arg. l. un. C. ut arm. uius inscio Principe interdic. *Nisi vero Dominator sit, si commoda occasio erit, Senatum consulere tenetur. Quod tamen perpetuum non est, nec observari semper occasio sinit*

X V I I.

XVII.

Sed quia constat, legatum pacem inire sine Principe non posse, commode quæritur an non saltem hostem in fidem recipere possit; & si fecerit an Princeps conventione hac teneatur: quorum neutrum dicendum putamus.

Exemplo sit Cæsar Borgias. Alexandri VI filius à Consalvo præside Neapoleos in tutelam receptus: quem Rex Ferdinandus dein vetuit dimitti, & carceri perpetuo mancipavit Cum enim ille fidem datam imploraret, rex reposuit eam à se nec datam, nec à legato dari potuisse.

XVIII.

Vt vero ad fœdera cetera pergamus, principio generatim definiemus, quæ eorum nomine dicantur. Fædera igitur sunt Conventiones Publicæ, quæ de mutua Principum aut Populorum societate inter ipsos contrahuntur.

In hac igitur definitione male à Bodino additum putamus, vocem perpetuum. lib. 5. de Repub. c. 6. *Cum & nonnulla fœdera temporanea sint.*

XX.

Eorum fere tria genera statui solent, unum quo hostibus devictis certæ dicuntur leges; alterum quo pares bello, in pacem & amicitiam deveniunt, tertium, cum qui hostes ante non fuere, sociali fædere inter se contrahunt qui neque dicunt, neque accipiunt leges.

Liv. lib.

a) *Sunt enim iidem quoque hostes*, l. 5. § 1. de Capt. & postlim. reversi. *ut consequenter iuris gentium cum iis communio sit*, l. ult. de Legation.

b) *Proprie quidem hi hostes non sunt, & adversarii dicuntur*, Cic Phil. 12. *sed meliori conditione quam hostes habentur*, l si quis ingenuam. 21. §. 1. ff. de captiv. & postl.rev. *ut nulla ratio dubitandi hac de re sit.*

XXII.

De Latronibus, Piratis, Servis Fugitivis in rempublicam armatis, quæritur; prope tamen est, cum his quoque iuris gentium communionem esse *a*. Non tamen quatenus latrones sunt *b*.

a) *Arg* l bona fides. 31. §. 1. & fin. Depos. l. quod attinet. de Reg. Iur.

b) *Quo sensu eleganter Tryphoninus* in d. l. 31. §. 1. *distinguit inter personas contrahentium simpliciter, & circumstantias negotio ipsi adiunctas.*

XXIII.

Vnde fit ut publica fides ipsis non debeatur, *a*) quæ tamen si eis addicatur, salva dignitate vix violari potest *b*.

a) *Arg.* l. hostes de Verb. Sign. *Quare nuncii eorum vel legati, non ut hostium, inviolabiles sunt Nec quod capiunt ipsorum iure belli fit.* l. 13. ff. qui test. fac. poss. d. l. 31 §. .

b) *Inde est quod in bene constituta republ. ubi ea semel fides facta contra non licet, pr...*

ut hostibus agatur. Sic Augustus Coracota, latronum in Hispania duci in cuius caput allatum ingentem pecuniæ summam præmio edixerat seipsum offerenti & præmium postulanti, impunitatem & præmium dedit Dio. lib. 56. *Sic & Pompeius pactus cum piratis ut hostibus est, fidemque ius servavit.* Plutarch. in Pomp.

XXIV.

Qui vero privata eis fide obligatus est, ne quidem si iuratus capitis pretium pactus sit, ulla ratione tenetur.

Eleganter Cic. 3. Offic. *Nam cum iis belli ac gentium cum iis communem non sit*, d. l. hostes. de Verb. Sign. *nec capta ab eis ipsorum fiant*, l. 13. de Testam. l. 19 §. a piratis. de captiv. & postl. dolo *exigerent, quod paulo post oporteret restitui* c. dolo. de reg. iur. in 6 d. l. 31. §. fin. depos.

XXV.

Denique ut de legatis hic agamus, quos alio nomine dicimus oratores, hoc est à Principe aut Populo publicæ rei causa emissos, sciendum est, hos sanctos & inviolabiles esse.

Idque adeo ita est, ut & sancti sint, si, dum apud nos degant, cum principe eorum aut Populo nobis oriatur bellum l. ult. ff. de Legation.

XXVI.

Quid ergo, si ipsi ad nos missi iniuriam inferant nobis? & præstare censemus, ut ad levem quidem conniveatur. maximam vero in mittentem po-

tem potius, quam missum censemus vindicandam.

Sed & posteriori casu, si se quo modo imparem alteri sentiat, praestiterit conhivere. Sic Marius Mitridati dicebat: P. Romani imperiis obtemperandum esse, aut potentiorem esse oportere. Plutarch. in Mario, *& Popilius Antiocho Magno Asiae Regi, mandatis Senatus expositis, tempus deliberandi postulanti, circulo, locum in quo rex stabat, circumscripto, dicebat,* respondere oportere priusquam é circulo abiret. *Vterque Rex iure offensus fuit, acquievit tamen uterque, potentiam Romanorum compertam habens.*

XXVII.

Si privatos iniuria afficiant, officio deposito ex L. Iulia de vi in eos animadverti potest.

Vt sc. & in magistratus ob iniurias tempore officii illatas, l. 7. in fi. ff. ad L. Iul. de vi Publ.

XXVIII.

Sed an missi ad Principes & populos alios quam nos, perinde sancti sint, videamus, & hoc ita est, n. si mittantur ab hostibus ipsis. Quod si ad hostes nostros mittantur, id non tam facile dicendum est, & non nisi indiciis certis nobis compertum sit legationem in nostrum tendere detrimentum.

Sic Athenienses legatos Spartanos ad Regem Persarum

missos intercepere. Thuc.lib. 2. *& Romani legatos Carthaginenses ad Regem Macedoniæ missos,* Liv.lib. 3. dec 3

XXIX.

Quibus positis, de effectu fœderum observandum, Potentiores qui alios in fœdus & clientelam suscipiunt, omni occasione teneri ad horum defensionem; *a*) multo vero magis ad violentiam, dolum, proditionem ab ipsis cohibendam *b*.

a) *Quoties scil. ab aliis iniuria afficiuntur.*
b) l. 1. & l. pen. ff. ad L. Iul. Maiest.

XXX.

Quod si duo socii inter se bello contendant, tertius superior quidem & potentior utroque imperare poterit ut uterque ab armis discedat, *a*) si superior potentiorque non sit, amica potius intercessione idem tentabit *b*.

a) *Si puta monitioni non pareant. Vt Prusiæ, Bithiniæ & Eumeni Ponti Regibus à Romanis contigit.* Iustin. lib. 33.
b) *In qua ipsa re cavendum ne faveat parti alteri.*

XXXI.

Vicissim vero & clientes, ad auxilia sociis fœdere superioribus tenentur.

Ergo non nisi summo scelere potentior tenuiorem deseret,

ret, aut imperio privabit. Vt quidem Turcarum Princeps Ioanni Hungariæ Regi, qui in clientelam eius, metu Austriæ gentis venerat, contra omne fas regno exuerit.

XXXII.

Corollarium esto, An vicinis bello oppressis nobis fœdere non coniunctis opem ferre conveniat; Quod quidem dicendum est, si sine periculo nostri fieri possit.

Modo tutelæ se nostræ dedant nec fœdera cum aliis antiquiora per hoc facile lædantur. vi. Bodin. 5. de Rep. c.ult.

APHORISMORVM

POLITICORVM

SECTIO XI.

DE

Iure Monetæ, *Vectigalia indicendi, AErario, & Publicis bonis.*

APHORISMVS I.

IVs monetæ quoque ad capita Maiestatis, sive summæ Reipublicæ pertinere diximus, idque eo quod id tantum penes eos sit qui summo imperio præsunt.

Vnde quidem Romæ de nummis cudendis lege sanciri solet. Postea tamen idem SC. effectum est, Vt scilicet Senatus pleraque ad summam reipublicæ pertinentia obivit, idque fere sine contradictione plebis, nisi tamen resisterent magistratus arg. sunt veterum numismatum figuræ ad nostras manus delatæ, quibus fere inscriptum deprehenditur, SC. id est, Senatusconsulto *Quamdiu tamen respublica magis popularis fuit, Triumviri Monetales nummos publicos arbitrio suo signabant, adiectis his literis. III. Viri A. A. A. F. F. id est.* Auro, Argento Ære Flando Feriundo.

II. Vnde

II.

Vnde quæritur, Quo iure eadem poteſtate fruantur civitates imperiales, itemque Duces, ceteriſque imperii primates: recteque dicimus ius eorum omne vicarium eſſe

Hoc eſt permiſſu Imperatorum & tacita aſſenſione Ordinum approbatum, imperatoris interim nomine & honore prælato publicatum. Ut ſcilicet quivis procurator alterius mandatum aut indultum ſibi ab altero, expediens, vel in primis utitur nomine mandatoris, tot. tit. de Procur. *ff.* & C.

III.

Eiuſque rei certum argumentum eſt, quod rogationibus imperii moneta eorum ſubiecta ſit, *a*) & cognitioni adeo circulorum ſingulorum, quibus ea de re publice inquirendi poteſtas eſt. *b*)

a) *Lege nimirum generali cautum eſt, ut legem Imperii ſequantur, nec ulla ratione ipſi id iuris alteri communicare poſſint aut obligare.*

b) *Circulos dicimus diſtinctos tractus, conſervandi ordinis Gratia ſeparatos, Germanice* Creyß, *ut cum circulum inferioris Germaniæ aut Saxoniæ dicimus.*

IV.

Quid ergo de iis ſtatuemus, qui quidem principes Imperii ſunt ſed uſurpatione quadam ſe ſubtrahunt interdum, ut monetæ non inferant Im-

rant Imperatoris Nomen? *a*) magisq; est, hoc quidem nihil ea ratione sibi comparare iuris *b*.

a) *Quod Principibus Italiæ, duci Brabantiæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ, iam ante aliquot annos inceptum est.*

b) *Cum scilicet nemo sibi mutare causam possessionis queat, per vulgatam regulam iuris.*

V.

*Sed an non præscriptione id acquiri perinde uti iura cetera possit, videamus: & nos, quatenus id ad maiestatem pertinet, præscriptionem eius omnem existimamus cessare.

Nam si viam publicam, quæ ne quidem Maiestatis est, præscribere vetamur, l. 2. ff. de via publ. & itin. publ. *multo minus tam illustre tam proprium caput maiestatis, quam ius monetæ est, præscribi dicemus. Vel ea ratione potissimum, quod nomine alterius possidens, ne possidea[t] quidem, eoque nec effectu possessionis vel qua[si] f[rui] possit,* l. male agitur. C. de præs. 30. ann.

VI.

Adeoque usurpationem monetæ cudendæ, cui nullum eius rei vel vicarium, vel beneficiarium, vel privilegiarium ius est, capitalem statuimus.

L. 1. C. de falsa moneta. *& Maiestati læsæ obnoxiam* l. 2. eod. tit. *Denique Imperatores prisci id ne quidem alicui permisere ex privilegio aut rescripto. Et si cui ita permissum esset, non tamen frui eo permisere*, l. ult. C. eod. *Vt scil quidvis aliud alicui rescripto indultum,*

effectui dari non licuit, si id iuri publico aut privato alicuius adversaretur, tot. tit. C. de prec. imp. off.

V.I.

Duci exercitus tamen, vel præfecto præsidii in necessitate constituti, aliqua hac in re ex consuetudine libertas est *a*) Sed ita, si non alia ratio sit vel exercitui vel præsidio consulendi *b*.

a) *Exspirat tamen usus nummi ita cusi necessitate primum soluta.*

b) *Alias enim id huic quoque capitale foret.*

VIII.

Quid ergo de iis dicemus, qui sua authoritate, nomine Principis omisso, id ius sibi tanquam principes supremi usurpant? recteque dicimus quodcunque eis concessum est, auferri eis ob hoc crimen posse.

Sic Poloni Episcopo Gnesnensi, Angli Cantuariensi, regni cancellarius ius monetæ Regum beneficiis permissum, sic Imperatores civitatibus Italiæ, excepta Luca, cui id intercessione Lucii Tertii Papæ in gratiam popularium ipsius relictum est, prorsus ademerunt.

IX.

Denique in re monetali ante omnia curandum, ne ius gentium lædamus, id est, ne pecunia vilior cudatur, quam pretium æris pro more præsenti reipublicæ vel nostræ, vel vicinarum admittat.

Quia id vel maxime ad rempublicam pertinet, publice quidem ad decus eiusdem, privatim, ne si aliter fiat, singulis iniuria inferatur, eo quod commercia non modo in civitate una subsistant, sed vel maxima cum subditis alterius tractentur. Unde consequens fuerit, cives nostros tandem non levi incommodo laboraturos.

X.

Sequitur de iure vectigalium. a) Nam & hæc indicere ad summam rempublicam pertinet. b) Eiusque rei ratio viua est, quod nemini permittendum sit exactione vel plurium vel omnium augere rem priuatam c.

a) *Quæ alio nomine tributa seu exactiones dicimus.*

b) *Seu ius Maiestatis. Unde iniungere ea nemo inconsulto principe potest*, l. 3. C. vect. nova inst. non posse.

c) *Quippe quod vel maxime à re hoc est utilitate publica alienum est.*

XI.

An non ergo id civitatibus & universitatibus ceteris permissum est? & id nequaquam dici potest.

l. 2. C. eod. *Licet enim civitatibus sua etiam qualis qualis respublicæ summa sit*, l. 14. D. ad Municipal. non tamen iis fruuntur quæ pertinent ad ius Maiestatis.

XII.

At permissum eis est, arcam & ærarium commune

mune habere: *a*) sed id ad ea referẽdum est quæ iure domini ad municipes pertinent *b*.

a) *Vti & actorem communem*, vi.l. 1. § 1. ff. Quod cuiusque vn.nom.

b) *Dominum enim suarum rerum habent*, l. antepen & pen. ff. eod.

XIII.

Quinimo & iure societatis, id est ex conventione omnium, contribuere aliquid in commune pro civitatis necessitate possunt.

Arg l. 3. princ. *verb. quam omnibus in solidum publice dari placuit*. de adm.rer.ad civ. pert vi. *D. Bus.* in d.l. 1. §. quibus autem. Quod cuius unin.nom.

XIV.

Sed his consequens est, ut si quis contradicat & contribuere detrectet, eum ne plurium quidem suffragiis vinci posse vel cogi.

Decreta enim ea ambitiosa forent eoque non observanda, l. 4. §. 1. de Decr.ab Ord Tac. dissent. Costal. in d.l. 1. §. ubi autem *Confutatus à D. Busio ibid.*

XV.

Vnde in omnem eventum tutius est, in republica bene constituta non admittere contributionem in ærarium universitatis, aut civitatis, Principe, Senatu aut Populo inconsulto.

Idq; et iamsi corporis ipsius intersit contribui aliquid in necessariã reparationẽ. Exigua enim difficultas est

tas est cõsulere eos ad quos rei pertinet summa. Ceterum ad hos quoque pertinebit, quod æquitati conveniet consentire minus difficulter, l. 1. & 2. C. vec. nova inst. non posse.

XVI.

Civitatibus tamen liberis, itemque ducibus & principibus ceteris Imperii Romani hodie usitatissimum est Principem & Imperii Ordines eam in rem non rogare.

Consensus tamen Ordinum in hanc rem à civitatibus & provinciis singulis requiritur, ut hæc res nō tam à Principibus aut Senatu singulorum populorum dependeat, quam libera populi cuiusque voluntate.

XVII.

Sed omne hoc ex privilegio, beneficio, aut emphy theusi est, ut Maiestas consequenter ipsa non obstante usurpatione hac, maneat principi & Imperio salva.

Idque maxime vel ob hoc est, quod societatis ius inter membra universitatis constitutum, ad exemplum reipublicæ, d.l. 1. princ. quod cui un. nom. *huic rei accedat, ut quidem effectu ipso nihil in hac re mutatum ex ratione publica aut iure communi sit, quam quod plura suffragia vincere pauciora possint. Quod ipsum tamen & difficilius admitti solet, nisi consentiant omnes.*

XVIII.

Illud apposite quæritur, An oneia eiusmo-

di etiam à civitatibus indici præiudicio tertii possint qui non sit eius municipii aut vici: & hoc quidem Iure Nostro dici nequeat Principe inconsulto

Ita iudicarunt Illustres Transisulaniæ Ordines, inter civitatem Stienvicensem & accolas Bloxsilenses, idque eo casu etiam ubi vectigali indicto maxime opus fuit in reparationem portus. Ratio est, quia res inter alios acta aliis non præiudicat, per vulg.

XIX.

Moribus tamen hac in re latius itum, adeo ut Civitates illæ de quibus egimus, liberæ, itēque Principes imperii, prope absoluta potestate utantur.

Eoque decretis suis incolis, transeuntibus exteris, & civibus pari præiudicant iure, per doctr Bartoli in l. infamem num 14. de Publ Iudic. *vi. allegatos apud Andr.* Gail. lib. 2. Obs 57. nu. 7. *Gotofr.* in l. non dubito. de capt & post rev.

XX.

Sed hoc in ceteris urbibus, pagis, ac vicis, quæ ærarium vel iure communionis vel societatis habent statuendum non est.

Quia hi loco privatorum sunt, per l. eum qui. de Verb. S. *Vnde in hoc, ut præiudicare aliis possint permissioni & assensu principali opus habent, per* d. l. 1. & 2. C. vect. nova. inst. non posse.

XXI.

Illud in hac re observandum, ne quandoque

Popu-

Populus plus æquo grauetur, *a)* sed tributa & vectigalia pro ratione census & facultatum cujusque indicantur.

a) Sic Tiberius præsidibus prouinciarum tributa suadentibus rescripsit: Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere. Tranquil. in Tib. *&* *Alexander Magnus dixisse fertur:* Odi olitorem, qui radicitus herbas excidat. *Simanca* 9. de Rep. c. 24. num. 8. ex lib. Sentent. Stephani.

XXII.

Sequitur vt de Ærario bonisq; publicis agamus. Ærarium autem ab ære dictum, & alio nomine fiscus appellatur. *a)* Quod recte definimus bonorum & obuentionum Reipublicæ vniuersitatem *b.*

a) L. edicto. 13. §. 1. l. Senatus. 15. §. pen. & vlt. de iu. Fisci.

b) *Tex. & DD.* in l. inter publica. 17. de Verb. Sign. *Romani tamen, ob amplitudinem imperii sui, per eminentiam bona reip. sua publica dicta, proprie hoc nomine appellata sensere, ciuitatum reliquarum abusiue.* l. bona publica. eod.

XXIII.

Ab his differunt bona Principis ipsius, *a)* quorum vniuersitas ærarium priuatum dici solet, itemque res priuata *b.*

a) Quæ scilicet in patrimonium principis priuatum redacta ad merum ipsius dominium pertinent. l. cum seruus. 39. §. fin. de Leg. 1.

b) l. 1.

b) l. 1. & l. vlt C. de Fun. Patr. lib, 11. *vid. Dn. Buf.* lib. 3. Subt. c. 1.

XXIV.

Lapsi proinde lexicographi sunt, qui fiscum proprie patrimonium Cæsaris dictum, ærarium reipubl. putarunt, idque ordine omnino inuerso.

Pardulphus Prateius, & post eum Ioannes Khalius in lexicis suis iuris, in voce, fiscus *Error inde, quod id semel apud Plinium deprehenditur, & forte rursus apud* Tacitum. lib. 6. Annal.

XXV.

Denique ærarium & fiscum iuris authores aliter accepere quam Latini ceteri. Ita puta vt illis ærarium, bonis Cæsaris oppositum fiscus dicatur, *a*) Principis, rarius aut nunquam; his vero etiam patrimonium Principis fiscus *b*.

a) *Vt* tot. t. t de Iu. Fisci. l. 3. §. pen. l 6 §. fin eod. l. vlt. qui pot. in pig. hab. l. 3. C. de Quadr. præf. l. 49 Locati. *Sic &* in l. 1. C. de Fun Patr *fiscus pro vtroque dictus est, & patrimonium fisci,* l. pacta. 72. § fin. de Contr. Emp: *Denique & hac esse Principis censentur, non proprie sed quasi,* l. 2. §. 4. ne quid in loc. publ. *quod ad statum Principatus conseruandum, eoque ad maiestatem quoque ipsam pertineant. Vnde & paribus priuilegiis censentur.* d. l 3. C. de Quad. præf. d. l. 6. §. fin. de Iu. Fisci.

b) *Plin. & Tac.* dd. lo. *Sed illi fiscum pro fisco priuato dixere. Disertius igitur Spartianus in Hadriano: Damna-*

Damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærarium publicum recepta.

XXVI.

Alia tamen ratione publica sunt quæ non tam in patrimonio populi quam usu talia sunt, *a*)item rursus alia quæ iure gentium communia *b*)ob hoc interdum publica dicuntur, quod populo in ea imperium sit *c*.

a) *Vt via flumina portus, area publica, & similia*, l. flu mini.24.de Dam.inf l 2.§ ad ea. ne quid in loco publ.

b) *Vt mare & per hoc littora maris*, l. 2. ff. de Rer.Div.

c) l.3.ff.ne quid in lo.pub.l quod in littore.14. ff.§ 2.3.& 4.Inst.de acq.rer.dom.

XXVII.

Vnde quæritur an flumina publica, portus, via & simili, recte alteri à Principe concedi in feudum possint: & hoc quidem, quoad eadem imperii sunt, dubitandum non est.

Cum & ea quæ ad summam Reipublicæ pertinent, vulgo regalia dicta in feudum dari posse receptum sit. not. ad c.un. Quæ sint regalia in us. feu.

XXVIII.

Vt vero instar bonorum cuiusque privati concedantur, & subducantur adeo usui communi, si magni intersit publice, aut privatim aliorum, contra dicimus.

Non quod

Nam quod Princeps praeiudicare priuato potest. l. 2. §. si quis à principe. ff. ne quid in lo. publ. *id ad praeiudicia minora pertinet. not.* in l. vniuersa. 4. C. de prec. Imp. off. *non etiam ad maiora*, l. 3. & l. 7. C. eod.

XXIX.

Quid ergo de aëre dicemus seu vento, qui interdum aliquibus beneficio conceditur ea seruitute, vt non nisi Principis permissione molendina ceteris erigere liceat? *a)* & id quoq; admitti potest *b.*

a) *Cuiusmodi consuetudo est in Transisulania & locis vicinis.*

b) *Idq; argumento eorum quae de aqua & fluminibus in iure nostro prodita sunt*, l. 2. D. de Flumin. *Pertinet enim haec res fere & ad ararium augendum vt puta in compensationem beneficii impetrati aliquid fisco pendatur.*

XXX.

Denique & illud obseruandum, in aerarii auctionem, cum eadem publica trãquillitas tempore belli pariter & pacis plurimum consistat, *a)* vel maxime annitendum *b.*

a) *Adeoque potentia & opibus nocentes facile puniri, merentes praemiis affici possint, Diogenes apud Stobaeum. Quibus rationibus & senatus Neronem flexit, cunctis populis vectigalia remittere conantem.* Tacit. in Annal.

b) *Per fas tamen & media honesta; non fraude ac seueritate, vt male Machiauellus Principem suum instituit.*

XXXI.

Vt tamen locupletiores plurimum tenuiores minimum grauentur.

Quo fine Romæ & alibi census ciuium iniri solet, vt puta tempore necessitatis compertum haberetur quid cuiq; oneris possit imponi.

XXXII.

Illud quæritur, An Principi alicui bona seu merces per regiones suas vectas, graui tributo onerare liceat? Affirm. nisi modum excedendo aliis iniurius sit.

Id enim si fiat subditis graue fuerit, nedum ceteris intolerabile & tædiosum.

XXXIII.

Cauendum vero est ne ista ratione grauatos, in se suosque armet, itaq; eis belli tribuat occasionem.

Siquidem Necessitatem æquissimam belli causam esse omnium historicorum & politicorum monimenta conuincunt. vi supra, sect 9.

XXXIV.

Num ergo Princeps reipublicæ suæ locupletandæ causa vt alios subigat, tentare armis possit quæritur? quod non putamus.

Contra quam Aristoteles in Politicis docuit. Neque enim ea sola causa iusta est. Quod si tamen necessitas aliqua publica adsit reipubl. nostræ conseruandæ causa, aliud erit.

APHO-

APHORISMORVM

POLITICORUM

SECTIO XII.

DE

Ortu & Incremento Rerumpublicarum, Studiis Ciuium, Publica & Priuata Disciplina.

APHORISMUS I.

EXPEDITIS iis quæ ad ſtatum Ciuitatis pertinent, illud ſequentibus aliquot diſputationibus reſtat: vt de Ortu, Incremento, Conuerſione & Occaſu rerum Publicarum agamus.

Vt ſcilicet his cognitis in tractatione reipublicæ, ſiue magiſtratus aut curatores in adminiſtrando, ſiue Ciues in parendo, aut data occaſione, conſulendo, partem nobis commiſſam fideliter expediamus.

II.

De Ortu vero & Incremento earum vt agamus, primo de prudenti fundatione ciuitatum, dein optimis ciuium ſtudiis, publica deniq; & priuata diſciplina inquirendum eſt.

Quia his potissimum rebus populus quisq; & in ordinem redigitur, & redactus in eodem conseruatur. Vnde huic rei principio disputationem hanc destinamus.

III.

Verumq; est, omnia rerumpublicarum initia primitus à familiarum conuenienti multitudine cepisse. *a*) Ceptis tamen semel aliæ ex aliis profectæ diuersa omnino ratione sunt ac modo *b*.

a) *Quia familias seminaria rerumpublicarum esse supramonuimus*, Sect. 3. per tot.

b) *Familiæ enim causam quidem, ciuitatum constituunt materialem, sed efficientem occasiones diuersæ. Vt aphor. seq. patebit.*

IV.

Interdum enim gentes à gentibus, populi à populis dimittuntur, quod vel vrbs vel regio patria multitudine ciuium onusta, difficilius omnes alere possit.

Qua ratione Hunni, Gothi, Wandali imperium suum occupato ad aliquod tempus Romanorum præstantissimo fundarunt Oros. lib. 7. *quaque ratione Longobardi postea, ex regionibus Septentrionalibus prodeuntes magnam partem Italiæ occuparunt, & regnum suum ibidem stabilierunt. Donec potentia Principum Romanorum in Carolo Magno restituta, subacti sunt. Retinet tamen regio Italiæ ea etiamnum Longobardiæ nomen.*

Vel

V.

Vel quod certa Populi pars dimittatur, in fines gentium vicinarum, idque propagandi aut defendendi imperii nostri causa.

Vti puta Coloniæ Romanorum & in exteras terras dimissæ, & aliæ gentium aliarum ante & postea, alibi reipublicæ sedem & formam constituere. Quod & interdum propagandæ negotiationis causa fit. Quemodo Riga in Liuonia à Bremensibus condita perhibetur.

VI.

Quodue dissidiis domi obortis pars altera, vel consulto, ne toti ciuitati, augendo dissidio periculum internecionis struat, vel coacte deserat patrias sedes.

Quale initium regni Parthorum fuit, qui Scytharum exules fuisse creduntur, domesticis seditionibus patria pulsi, & solitudines inter Hircaniam, Dacos, Areos, Spartanos & Marianos furtim occupauere. Potiti tandem imperio potioris partis Orientis, Iustin. ex Trogo lib. 41. Histor.

VII.

Aut quod militum seditiosorum, vel latronum turba collecta, constituendæ sibi ciuitati tandem decretas firmasq; figat sedes.

Quomodo Turcorum, gens Scythica (iam olim etiam Plinio & Pomponio Mela celebrata) imperium sibi constituere. vi. Chron. Peuceri lib. 4. & authorem de reb. gestis Turcarum, *Et simile quid de Aphris est apud Leonem Aphrum, historia Aphricana huius aui authorem.*

VIII.

Imperiaue maxima mole quantitatis suæ languida, tandem in frusta partesque secentur diuersas, itaque rempublicam singuli constituant.

Quod Macedonibus principibus accidit, qui Alexandro Magno perempto, imperium eiusdem inter se diuisere Idem accidit Imperio Romano, primum in imperium Orientale & Occidentale diuiso, dein paulatim à pluribus regibus aut principibus, prout occasio tulit, occupato.

IX.

Pluresue populi minores fœdus ineant, vel ciuitatis vniuersalis inter se constituendæ, vel fœderis tantum, vt inde postea & imperium vniuersale oriatur.

Quod prope Ætolis & Achais accidit, quorum singulæ ciuitates quidem principio singulæ summum imperium defendere, fœderis tamen diuturnitate in vnam tandem rempublicam videntur coaluisse.

X.

Vel denique quod potentia, quispiam, consilio, & confidentia præpollens, principatum in populares affectat & consequitur, qui eum antea non agnouerunt.

Quod Caio Iulio Cæsari accidit, qui dictaturæ perpetuæ prætextu republica patria occupata, constituit primum Principatum. Idem olim Romulo accidit,

Tyran-

XI.

Tyrannidiſue, pertæſi quandoque aut periculum à vicinis metuentes populi, quod dulcedine libertatis illecti, iugum ſeruitutis vel excutiunt, vel effugiunt, imperium ſibi maxime placitum conſtituentes.

Quod initium Reipublicæ Romanæ fuit Regibus exactis. Eiuſmodi etiam origo rerumpublicarum Græcarum fuit, quæ omnes pariter antea Regibus paruere Dionyſ. Halicar. *Idem Venetis accidit, qui metu gentium inuadentium imperium Romanorum, ſedem ſuæ ciuitati in mari Adriatico delegere.*

XII.

In quibus omnibus rerumpublicarum initiis apprime notandum eſt quibus mediis eæ primum ſint conſtitutæ, vt ſcilicet ea quauis occaſione inſeruire poſſint præueniendis mutationibus periculoſis.

Facit igitur id vel maxime ad prudentiam comparandam. Sed quia eius rei maior in rebus politicis conſideratio habenda eſt, latius de eadem agimus diſp. prox. inf.

XIII.

Ad diſciplinam ciuium quod attinet, ea alia publica eſt, alia priuata. Publicam dicimus, qua ciues publico nomine exercentur, *a)* idq; publici boni cauſa b.

a) *Vt religione & bello.*

b) *Vt tamen inde redeat vtilitas ad singulos. Bonum Publicum enim vniuersum & ipsum singulorum causa est*, vid. supra lect. 1.

XIV.

Priuata, qua ciues singuli applicantur & excitantur ad locupletandam rem familiarem, vt consequenter inde ad Rempublicam ipsam diversæ redeant commoditates.

De qua agemus infra aphor. 28. 29. & seqq. eiusdem huius lectionis.

XV.

Quibus consequenter quæritur de publica disciplina, & in primis: Qua religione imbui, ciuitatem oporteat: & ita statuimus, ea quæ ad cognitionem & magnificandam gloriam æterni Dei *a)* & proximi dilectionem ducat *b*.

a) *In qua summum bonum, omnibus philosophorum sectis tantopere semper expetitum, & nullis nisi per fictilem vmbram inuentum: positum absolute est.*

b) *Quæ vera notitia Diuina praxis est, adeoq; directo contendit ad publicam tranquillitatem, hoc est beatiorem reipublicæ statum, SS. Dei verbo cententa.*

XVI.

Num vero & populum ad eam cogi consultum

ſultum ſit, quæritur: & nos quidem eum præmiis in eandem invitari, pœnis vero nõ niſi minimis conſtringi, conſultum putamus.

Eo quod perſeverantia eorum qui ſupplicio afficiuntur in ſuperſtitionem etiam alios excitet. vid. Lipſ. adverſus Dialogiſtam.

XVII.

Quibus conſequenter & inquiſitiones ſeveras in diſſentientes, utpote perſecutioni gentilium in Chriſtianos comparatæ, prorſus conſimiles, putamus *a*) abominandas eſſe *b*.

a) *Qua priſci Imperatores & tyranni uſi ſunt. Sed Traianus optimus princeps, iam cum vetuit in eos inquiri. vid.* epiſt. Plinii.

b) *Vtpote quæ contra morem maiorum, & primitivæ eccleſiæ inſtituta religionem violenter cogat. Vt prudentiſſime Principes Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Daniæ, Civitas Veneta eas omnino aſpernentur.*

XVIII.

Blaſphemias interim in Dominum Deum effuſas, ſi ex compoſito aut propoſito fiant, cẽ-ſemus ſerio puniendas.

Nam quæ inconſulta linguæ temeritate proferuntur, vix ita graviter puniuntur. Quo pertinet l. 2. C. de reb. cred. *ubi dicitur, iuriſiurandi religionem contemptam, ſatis Deum habere ultorem. vi.* Dn. Bronch. Cent. 2. Contr. c. 25. Dn. Buſ. ad l. 13. §. fin. de Iureiur.

XIX.

Idemque ſi diſſenſiones, ſeditioſæ ſint, ac

 ſemi-

ſeminentur in excitationem populi ad movendam publicam quietem.

Tum enim in hac re agendum, ut alias ſemper in diſſidiis ac ſeditionibus civilibus ſedandis. Qua de re ſupra, diſp. 9. th. 17. 18. 19. Item infra ſect. prox.

XX.

Et quidem principiis hac in re tutius obviamitur, priuſquam puta malũ gravius incrementum aſſumat.

Quod ſi initia, quæ ex lite illa diſſidiorum, tolli non poſſint: præſtiterit eum qui rei ſummæ præeſt, non facile aliter agere quam patriis monitionibus, ut ſcilicet occaſione meliore oblata tutam medelam adhibeat. Vel ſi id fieri nequeat, prius quã ſe vel rei ſummæ deiiciat, vel rempublicam in periculum everſionis adducat, conniveat penitus, ſe tantum religioni veræ faventem oſtendens, ut exemplo magis quam ſeveritate proſit. Qua in re præclara laus Valentiniani fuit, Ammian. Marcellin. *Et Theodoſii etiam* Socom. Eccl. Hiſt. 7. c. 3.

XXI.

De Superſtitione quid dicemus, cum & hãc præſtantiſſimi quoq; reipublicæ tractandæ magiſtri coluerint? & nos ita ſtatuimus, non imprudenter eam introduxiſſe illos qui Dei notitia deſtituti fuere, *a*) ceteros eam fovere minus recte. *b*)

a) *Ut non imprudenter Senatus Romanus libros antiquos Numæ Pompilii deprehenſos, quibus omnis religio*

religio Civitatis arguebatur falsitatis, iusserit cremari.

b) *Cum non liceat alicui Deos alienos colere. Quod & ipsi ignari rei divinæ in hac re peccent.*

XXII.

Ad studia belli & usum armorum, quod attinet, quandoquidem hæc quoque ad disciplinam publicam pertinent, recte quæritur, an è republica sit civem in ijs exerceri: idq; statuendum est omnino.

Dubium movet, quod Principibus ipsis quoque id periculosum videatur populo præesse armis potenti. Id quoq; vel maxime, quod respublicæ beatissimæ (qualem Venetam esse hodie confessione pene omnium comprobatum est) usum armorum omnem repudient, adeoq; ne cives exteris militent, interdicant.

XXIII.

Adeo quidem, ut & tempore pacis id quoq; consulamus, iisque etiam regibus ac populis, qui milite mercenario uti consueverunt.

Quoniam his vel maxime in hoc incumbendum, ne scilicet exercitu quandoq; profligato protinus hostibus prædæ sint, adeoq; ne à suo milite quandoque eis periculum immineat. Idque in Belgicæ Unitæ provinciis receptum est, ubi cives in oppidis & munitionibus singulis præter militem mercenarium assiduo excubias agunt, & armis invigilant.

XXIV.

Num vero præstet tantum bellicæ virtuti fidere, an & præterea ad securitatem publicam con-

cam consultum sit civitates ac arces munitas habere magnæ quæstionis est: posterius tamē probamus.

Dubium movet, quo civitas mœnibus innisa minus virtuti operam datura videatur. Dein quod fortissimæ nostri avi nationes quam minimum iis fidant. Siquidem Helvetiorum nonnulli ne quidem munitiones habent, cæteri mœnia quidem, sed parum munita. Sic & nõnulli Scytharum cis Mœotidem nullas etiamnū munitiones, adeoque vix habitationum fixas sedes habere proditum est.

XXV.

Quibus consequenter observandum, quia urbes ipsæ defensiones publicæ causa habentur: eas prudentissime ædificari in insulis, ostiis fluminum, sinu aliquo maris.

Adeoque paludibus, ac locis omnibus iis, quæ ad defensionem faciliorem composita, difficulter obruantur. Sic Tyrus in insula condita, diutius, quam ante vel post, ulla civitas Alexandri potentiæ restitit. Denique & invicta fuisset, nisi regi hosti imperium orbis destinatum fato fuisset. Sic Venetia externæ potentiæ semper hactenus invicta fuit, idq; sola maris commoditate. Batavi, & Zelandi, insularum opportunitate primum fregerunt vim Hispanorum, quem tamen orbis ante novus totus sustinere non potuit.

XXVI.

Sed an non præstet potius eas in montibus ac locis editioribus exstrui, unde maximus etiam ho-

iam hostium impetus exigua armatorum manu facili momento queat averti: *a*) alterum tamen tutius & reipublicæ incremento melius putamus.

a) *Vti Romani arce sua urbem iam prope deletam à Gallis conseruauere; & Silesii Vratislaviam à Scythis iam occupatam, arcis munimento hostium impetum fregere, itaque irruptionem in Germaniam ulteriorem prævenere, Anno* 1242.

XXVII.

Eo quod negotiandi copia hac ratione parata sit, quæ ut olim semper, ita hodie vel maxime civitates omnium opulentissimas reddit.

Vt hae res non tantum ad defensionem, sed vel maxime ad incrementum pertineat, tam civium quam bonorum. Exemplo sit civitas Venetorum, Civitates Balthica, quas Anseaticas vulgo, regiones Belgica Vnita, negotiis, & per ea opibus ac viris omnes florentissima. Et ut ad vetera respiciamus, exemplo sit Tyrus, Carthago, Corinthus, Capua.

XXVIII.

Et vero ut ad disciplinam privatam civium singulorum transeamus, videndum est quę studia locupletandis civibus quam maxime conducant.

Eo enim pertinet quod supra aphor. 13. & 14. *monuimus. Vt absolutis iis qua ad publicam institutionem pertinent, modo recte transeamus ad privatam.*

XXIX

XXIX.

Sed in hac re distinctè agendum est, ita ut pro regionum ac civitatum situ, alia his alia illis conveniant. Modo id generatim observetur in disciplinis liberalibus omnes institui, & educari adeo, par esse.

Vt scilicet omnium animi ab ineunte ætate imbuantur humanitate & præceptis officiorum cum erga Principes, ac Magistratus, tum erga parentes & pares. Vnde hæc res vel maxime pertinere ad conservandam rempublicam censetur. Aristotel. 8. Polit. c. 1. *vide* Arnis. lib. 1. de Rep. c. 18. *Idque potissimum ad optimates referendum est. Vnde videmus in hanc rem præstātissimos semper Principes incubuisse, Vespasianum inquam Traianum, Carolum Magnum & plerosque*

XXX.

Non quidem promiscue, sed ita, ut principiis literarum, & humanioribus studiis vacare omnibus, quibus id contingere possit.

Eo quod virtus, humanitas, & peritia civiliter ac modeste degendi quæ in scholis præcipiuntur, omnibus pariter conveniat. Qui vero educatus aut institutus iis non sit, plerumque ad mala dilabatur, Plato 6. *de Repub. Isti vero facultati quisq; maxime applicādus est, ad quam maxime inclinat, ne puta quis ad diversam cogi videatur.* Plato 7. de Rep. & in dialogo de Legib. Cic. 3. de Orat.

XXXI.

Sapientiæ reconditæ & scientiarum latices profun-

profundiores inquirere, tantum opulentioribus consultum ducamus; iisquepotissimum, quibus affulgeat spes reipublicæ aut ecclesiæ quondam administrandæ.

Quamobrem recte Mecœnas Augusto author fuit, ut patricios, equestrique ordinis adolescentes procuraret disciplinarum studiis applicari, Dion. Cassius. lib. 2. *Tenuioribus tamen, posteaquã humanitatis præceptis imbuti fuerint, nisi quã maxime ingenio præstent, magis consultum est, ad opificia aut negotiationes converti. Vt puta, sit quo ætate provectioribus quandoque prospectum de victu & conservanda & augenda re familiari sit;*

XXXII.

Ad studia cetera, quod attinet, ea vel negotiationis ac mercaturæ sunt, vel opificiorum. Quæ puta utraque pariter omnium civitatum incolis & conveniunt & conducunt.

Idq; duplici de causa, primum quidem, quia præstet cives occupatos actionibus esse, ne otio torpeant, quod malorum complurium occasionem præbet altera ut locupletent his mediis singuli rem familiarem. Vnde Areopagitis incumbebat animadvertere in homines otiosos. Diodor. Sic lib. 1. Val. Max. lib. 2. c. 1. *Denique & Iure Cæsareo mendici validi in servitutem rediguntur* l. un. C. de mend. val. lib. 11.

XXXIII.

Ita tamen ut, qui mari aut fluminibus vicini sunt,

ni sunt, tutius se ad negotia convertant, *a*) ceteri ad opificia tutius *b*.

a) *Exempla sunt in glossis thesis 57.*

b) *Exemplo sit Norimberga, quæ quidem in loco minime irriguo sita, olim non tam negotiis quam opificiis præstitit, floruit tamen civium & augumento & fortunis valde. Eiusmodi sunt civitates mediterraneæ complures, ut Helveticæ nonnullæ, & aliæ Germanicæ ac Gallicæ plures.*

APHORISMORUM

POLITICORUM SECTIO XIII.

DE *Corruptione, Mutatione, & Occasu Rerumpublicarum.*

APHORISMUS I.

SEquitur nunc de corruptione, Mutatione & Occasu Rerumpublicarum. Corruptionem reipublicæ dicimus vitium eidem accidēs, quo puta quandoque in periculum vel mutationis *a*) defertur vel eversionis *b*.

a) *Licet vero non omnis mutatio sit exitiosa, improvisa tamen semper periculosa est. Ut omnem causam & occasionem à qua subita conversio metuenda sit, præcaveri oporteat velut corrumpentem.*

b) *Id*

b) *Id est interitus ipsius.*

II.

Mutationem vero Reipublicæ Conversionem, qua puta Reipublicæ forma ac status ex consueto mutatur in alium.

Vel è Regio in Optimatum, aut Popularem, vel è diverso alicuius horum in illum, civitate interim, hoc est civium cœtu eodem manete. Manet tamen civitas eadem, licet singuli omnium mutentur lento successu.

III.

Occasus est Reipublicæ declinatio extrema, qua puta civitas vel perit in universum, vel ita supprimitur ut forma ac summa eius omnino extinguatur.

Quod imperio Constantinopolitano accidit à Turcis occupato; item regnis olim devictis à Parthis, nuperque imperiis Indiæ Occidentalis Castilianorum potentia fractis.

IV.

Et quidem ad causas mutationum quod attinet, hæ coniunctæ iis sunt, quæ ortui occasionem præbere solent.

De quibus late actum supra disputatione præcedenti.

V.

Non quia una eademque causa ortus & oc-

casus sit, sed quod occasio unius pereuntis orienti alteri initium præbeat.

Sic interitus regni Persici, incrementum Macedonum fuit Curt. Arrian. Plutar. in Alex. *Constantinopolitani, hoc est, Romani in Oriente Turcorum; ipsius vero Romani imperii ortus interitus innumerorum populorum fuit.*

VI.

Eadem tamen civitas manet, quæ non interit funditus aut evertitur, sed cuius tantum mutatur status.

Sic imperium Romanum à Gothis occupatum non intertit, sed statum mutavit Principalem in Regnum; qui tamen protinus & sub ipsis Gothis ad Principatum reductus est. Vt ex Cassiodori variis constat, & Oros. lib. 7. Histor *Et huc omnia exempla pertinent, quibus respublica in regnum aut vice versa mutatur.*

VII.

Sed interit ac occidit omnino quæ vel dispergitur, etiamsi in classes ac cohortes instar coloniarum distrahatur, *a*) vel tota ab stirpe internecioni datur *b*.

a) *Quod Troianis accidit, victoria urbis Græcis parta.*
b) *Vt Corinthus à Mommio, Hierusalem à Tito.*

VIII.

Vel in civitatem aliam cogitur adempto ei in universum proprio statu ac summa.

Quod Sa-

Quod Sabinis olim accidit à Romulo devictis, & dein municipiis Italiæ, post provinciis universis & pene innumeris Imperio Romano subactis; hodieque regionibus Indiæ utriusque dominatui Hispanorum subiectis, item subactis à Turcis.

IX.

Nam si quis populus ab alio in ciuitatem adlegatur, Summa reipublicæ propria ei salva, rectius dicimus eandem manere, nec idcirco perpeti interitum aut occasum.

Quod nuper Genevatibus accidit, à Bernatibus in civitatem receptis; & olim Populis à Romano ea lege in fœdus admissis, ut Maiestatem S. P. Q. R. comiter observarent.

X.

Quid ergo dicemus, si cuius reipublicæ status quidem non mutetur, summum tamen imperium seu ius maiestatis ei vel accedat vel decedat: recteque dicimus eam mutari.

Quod Carthaginensibus accidit à Romanis devictis; & plerisq; principibus qui vel ex fœdere vel legibus pacis veniunt in fiduciam alterius ut Principatus suos ab aliis in feudum seu beneficium, aut emphyteusin habeant.

XI.

Quod si civitas quidem eadem corpore, lo-

co mœnibus aut finibus conclusa maneat, imperio ei omni adempto: interire potius eam quam mutari dicendum sit,

Quod accidit Capuæ quæ potentia & magnitudine sui fidens, seditionibus in Romanos agitata, tandem in præfecturam redacta est, ita ut cives ipsi nihil imperii nihil iuris retinuerint, magistratuum muniis præfecto loci commissis. Idem accidit & aliis.

XII.

Genera quoque mutationum tot numero statui possunt quot status unius in alterius conversionem.

Vt Dominatus in Principatum, statum Optimatum, Populi, vel cuius horum in alium quemcunq;.

XIII.

Causas vero mutationum, & perditionum ipsas pene duplices statuimus, alias scilicet, internas, alias vero externas.

Idque pro diversitate eorum qui causam & occasionem suppeditant vel dissidiorum, vel aliarum motionum.

XIV.

Internæ sunt quæ in ipsa civitate, sive à populo, sive principe, sive optimatibus, sive uno aut aliquibus eorum prodeunt, vel non animadvertentibus id plerique; *a)* vel scientibus & con-

& consentientibus. *b*) Externæ sunt quæ extrinsecus accidunt *c*.

a) *Vt factum est à Iulio Cæsare qui dictaturam simulando, hoc est magistratum tantum, reipsa invasit Dominatum. Sed quem Augustus principatui restituit authoritate sua Senatui salva; Itemque Ioanni Galeatio, qui occiso patruo eiusdem nominis, principatum Mediolanensem occupavit.*

b) *Quod Romæ authore Bruto, accidit Tarquinio Superbo submoto.*

c) *Vt quæ ab hostibus, latronibus, aut preditoribus immissis moventur.*

XV.

Internæ, si in bonum contendant, & omnino appareat sine periculo reipublicæ eas perfici posse, probandæ magis quam vituperandæ sunt.

Sic Romani status mutatio ex Regio in Optimatum, istius in Popularem, huius rursus in Principalem reipublicæ non tantum salutaris, sed & omnino necessaria fuit. Cum alias vel tyrannide dominantum dissidiis potentiorum civitas tandem aut in extremam servitutem redacta, aut omnino eversa fuisset. Idem dicendum de republica Venetorum & mutatione status, quæ eidem accidit aliquoties.

XVI.

Si vero in malum, multo pessimæ sunt, adeoque periculum occasus ac internecionis ab iis metuendum est.

Qualis erat Coniuratio Catilinaria; qualis nuper conspiratio in Iacobum VI. Magnæ Britanniæ Regem, & paulo ante in Henricum IV. Galliæ Regem, Bironio cooperante.

XVII.

Vnde & facilis definitu quæstio ea est, utrū Secessiones reipublicæ utiles ac salutares sint, an minus. nosque de ea ita statuimus utiles quidem eas interdum esse, si sine turbis in bonum tendant:

Vti Romanæ omnes, Florentinæ diversæ, Germaniæ protestantum in Carolum Quintum, item Helvetiorum in imperii præfectos Belgarum, in præfectos Hispanorum, conservandis magis populis illis quam lædendis aut evertendis & tetendere, & successere.

XVIII.

Quia tamen causæ motionis fere à malo cōsilio dependent, adeoque non sempet felicem exitum sortiuntur, præveniendas eas potius, quam permittendas censemus.

Ne scilicet alea iactu reipublicæ universæ periclitetur summa.

XIX.

Quod si igitur hi penes quos rei summa est, eventum difficilem inveniant, examinanda intentio multitudinis est; ut dein provideant pro re nata.

Id vero

Id vero est, si consilia deprehendantur exitiosa, ut in authores animadvertatur tanquam seditiosos; si bona, ut aquæ postulationi auscultent potius quam in periculum civitatem deducant. Vid. infra disp. 1.

XX.

Causæ denique motionum ac seditionum ut facilius animadvertantur ab aliis enumeratæ sunt: *a*) sed nos eas magis in facto consistere, quam certis observationum regulis contineri censemus *b*.

a) *Quod Aristoteli tentatum videtur.* 5. Polit. c. 2. & 3. *& qui eum sequitur, Arnisæo* lib. 2. de Rep. cap. 4.

b) *Aristoteles certe id re ipsa tandem fassus videtur, dum d. c. 2. quidem* 11. *aut* 12. *causas recensere conatur, paulo tamen post* (*puta c* 3. 4. 5.) *de iis velut infinitis differit.*

XXI.

Verum quidem est eas produci interdum nimiis honoribus ac divitiis paucorum, quibus invidia popularium excitari solet, & authoritas ac potentia, quæ ab illis, plerumque ceteris suspecta, & Principi ipsi parata.

Aristot. d. lo. Quo pertinet istud Senecæ: Ars prima regni est, posse invidiam pati. *Sen. in Medea. Exempla vero seditionum quæ ab hac re passim obvia sunt.*

XXII.

Item deſperatione ſeu metu non evadendi periculum, quod quis ſibi imminere perſuadet & rurſus contemptu, vel imperantium vel ſubditorum,

Sic Cæſar, conſulatu fruſtratus, & ſe in urbe, de qua optime meritus, contemni ratus, arma in ipſam ſumpſit. Quanquam Plutarchus & Suetonius ſuſpicentur, eū coactum potius nimio ære alieno, quod contraxerat, dominatum affectaſſe, quam cupiditate regnandi. Ab hac certe cauſa omnium maxime avendum eſt, cum neceſſitate coacti ſibi iuſtiſſimam ſemper cauſam eſſe exiſtiment armorum, nec metuant adire periculum ullum quibus nulla ſalutis ſpes eſt. Vt recte Machiavellus ſtatuat, nunquam eo turbam deducendam, ut videant vel ſibi pereundum, vel alium tollendum.

XXIII.

Rurſus à coitione plebis minus ſuſpecta, quod forte ei conſulendi de rebus ad corpus ſuum pertinentibus occaſio eſt, ut hoc prætextu tractent pertinentia ad civitatem,

Cuius rei exempla Coloniæ Agrippinæ, & Vltraiecti nuper, & ſæpe ante, olim etiam Lubecæ, Genevæ & Zuollæ deprehenſa.

XXIV.

Aut ab odio ſtatus præſentis, quem tædio habent ad reipublicæ gubernacula vocati, indeque occaſionem aucupantur mutandi eius in alium;

alium; *a*) aut opinio virtutis ac præſtantiæ quam quis præ ceteris habere putatur *b*.

Vt Valerius Publicola legibus ſuis ſtatui populari viam ſtrauit, Liu. lib 2. Plutarch in Publ c. *Carthaginenſes igitur Hannoni, quod eum æmulum libertatis plebeiæ cenſerent, imperium abrogarunt.*

b) *Aduerſus quos Athenis proſpici oſtraciſmo ſolet.* *De quo nos* ſect. ſeq.

XXV.

Quodque committitur alicui magiſtratus vel minuſculum aliquod munus, cui potentia aut opes nimiæ ſunt.

Sic Agathocles Syracuſas, Euagoras, Cyprum, Piſiſtratus Athenas, Scaligeri Varronam, Medicæi F[illegible]rentiam, S[illegible]rtia Mediolanum occupauere. Aduimus [illegible] [illegible]um aliquod munus: quia Piſiſtratus cum ex[illegible], at [illegible] aduerſus [illegible] tes impetraſſet, regnum occupauit. Idem in Pericle [illegible] eſt, prætextu eo, quod ſe reip. [illegible]reret curatorem.

XXVI.

Nimiaue peregrinorum, vel ex diuerſis terris con fluentium multitudo ſeditioni, periculo ac caſui ciuitatis cauſam parit.

Ariſt. 5. Polit. *Eius rei exempla deprehenſa in Sybaritis, Byzanthinis, Amphipolitis.*

XXVII.

Et iſti quidem cauſa proxima videtur mili-

tum mercenariorum commotio, vel populi auxilio inuocati potentia.

Sic Rhegini ab inuocato præsidio Romanorum aduersus Carthaginenses oppressi sunt. Polyb. lib. 1. *Imperatores Occidentes; Dux Beneuentanus patrum æuo à Turcis.* Sigon. in Hist. Ital.

XXVIII.

Religionis tamen mutatio in hanc rem multo efficacissima videtur, idque etiamsi superstitio vel idololatria suggeratur religionis prætextu.

Vt enim religio, & superstitio etiam multum potest ad ciuitatis statum confirmandum, sic & mutandum. Idque non tantum quia populus moueatur facile prætextu religionis nouæ, sed & persuasione, puta, quod authores motionum aut consiliorum, sibi cum Deo colloquia & consulta tractari populo persuadent. Vti olim multi, Licurgus cum Pythia consilia inire simularunt, & sim.

XXIX.

Idem dicimus de dissidio Ordinum in republica, puta cum vel optimates mutuo, vel omnes cum populo, vel populus inter sese dissidia instituunt. Sed hæc causa fere ab aliqua earum est, quæ superius explicatæ sunt.

Exempla vero dissidiorum & mutationum quæ ab illis, omnium historiarum monumenta complent, Italiæ potissimum.

XXX.

His tamen omnibus non illud efficitur, quin plures semper emergere nec minus graues pro re nata queant, vt certis regulis hanc rem definiri posse omnino negemus.

Sic Constantinopoli tempore Iustiniani ob diuersitatem colorum quam partes elegerant, imperium in summum periculum adductum fuit. Zonar. *vt. de causis aliis* Arist. 5. Polit. c 4.

XXXI.

Deum igitur boni & iustitiæ omnis authorem constituere imperia ac ciuitates, & mutare adeo, prout ei vel delicta populorum mereri vel rei humanæ vtilitas exigere videntur, rectius dicimus.

Dominatur enim altissimus in regno humano, & cui voluerit dabit illud. Dan. 4. cap. vers. 14. & Sap. 6. cap. vers. 1. 2. 3. 4.

XXXII.

Num vero obseruationibus astrologicis conuersiones ac interitus ciuitatum præuideri possint, ardua omnino quæstio est, sed nos id non putamus.

Cardanus quidem id ratus, sed eleganter à Iulio Scaligero, & Bodino confutatus est. Nos eorum rationibus posthabitis, eas adhibebimus, quæ omnibus intellectu faciles erunt. Et quidem præsupposito (quod tamen non damus) astrorum virtutem in rebus terrenis ac humanis omnino efficacem esse, hoc modo.

Quod-

Quodcunque à motu astrorum regitur idem dependet ab operatione naturæ: at ciuitates non dependent ab operatione naturæ. Idem: Si horoscopi seu astrologicæ constitutiones singulorum quam maxime differunt, sequitur vnam vniuersæ ciuitatis esse non posse; At prius verum ergo & posterius.

Rursus: Si horoscopi ratio necessaria est, sequitur ciuitatis à stirpe euersæ vnam & eandem in vniuerso, & simul singulis omnis ætatis ac sexus ciuibus eandem constitutionem esse. At hoc absurdum est, absurdum igitur vnde hoc sequeretur, Adde Ian. Pic. in lib. contra Astrolog. Bod. lib. 4. de Repub. c. 2. Scalig. aduers. Cardan.

XXXIII.

Multo verò minus id numerorum aliqua supputatione fieri posse dicendum est. eo quod iis omnino nullam propriam vim inesse, omnibus constet.

Quod igitur Plato tantum momenti in his posuerit, non vsquequaque æstimandum est. Licet enim complures sententiam eius excusare, alii etiam explicare voluerint, Philo Bassarion, Manobius, Ficinus: *re ipsa tamen indicant, se sententiam illius minus assecutos. Quippe cum numerum virtute producendi omni destitutum plene* Aristoteles *doceat,* 13. & 14. Metaphys.

XXXIV.

Reipublicæ statum etiam pessimum, ac leges vno eodemq; tempore mutare, periculosum adeoq; semper dicimus perniciosum.

Violen-

Violenta enim ea mutatio foret, & idcirco vt omnibus reipublicæ partibus protinus conueniat, omnino fieri nequit. Vid. Bod. 4. de Reip. c. 3.

XXXV.


Quamobrem prouide ac pedetentim in hac re agendum, ne puta studium emendandi præsens exitium ac reipublicæ ruinam irreparabilem operetur.

Nimirum vt initium fiat ab iis, quæ populo ipsi iam vel contemnuntur, vel, minus idonea esse intelliguntur, itaque consilium bonum gradatim effectui detur.

XXXVI.

Et vero licet mutationes nonnullæ etiam violentæ successerint, re publica puta iam in casum matura, retenta tamen plerumq; veteris formæ vmbra est.

Vt Romæ mutato statu Regio Rex Sacrorum retentus, itemq; in Consulum Duumviratu imperium regio simile, Liu. Halyc. *alii Et rursus mutato statu populari. Retenta vmbra eius in eo, quod Augustus se ipsum gereret tribunum plebis.*



APHO-

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO XIV.

DE

Medelis & Consiliis aduersus causas Mutationum & Occasus Rerumpublicarum.

Aphorismus I.

QVia vero ex Sectione superiori constat; causam praecipuam mutationis & occasus Rerumpublicarum à Deo ac prouidentia ipsius pendere, consultum existimamus, in primis hac in re subducere animos superstitioni.

Quippe quæ astrorum aut siderum motu, temporum periodis (vt quando fata rerumpublicarum annorum 500. spatio metiuntur) vel eccentrici terræ reuolutione hac finit. Cum quacunque hac ratione res ea astrologiæ regulis ascribatur:

II.

Et Consiliis denuo operam dare, quibus prudenter obuiam eamus machinationibus quaqua ratione vel in ciuitate vel extra eam, ad innouationem status directas;

Recte nimirum ille:

Nullum numen abest, si sit prudentia. ———

Et Salustius: Vigilando & fortiter agendo prospere omnia cedunt.

Nec

III.

Nec modo aduersus ea quæ tanti momenti ab initio apparent, sed & quæ vtcunq; adciendum turbas ac commotiones tendere videntur.

Etiamsi multo leuissima appareant. Cum ex minima scintilla sæpe grandis oriatur ignis. Vt Aristot. 5. Polit. c. 4 *docet. Vbi Syracusis olim statum reipublicæ mutatum perhibet à dissidio duorum adolescentum, constitutorum in magistratu: & dissidentium ob amorem puellæ, cum puta pars ciuitatis hunc, pars illum sequeretur. Vbi & alia similia nec maioris momenti exempla refert.*

IV.

Et vero licet id ex superioribus facile appareat, consilia tamen aliqua in hanc rem præscribi posse censemus.

Non quibus eam finiamus generatim, sed vt ex eis ad similia conjecturam ducamus, prudentiamque augeamus.

V.

Quorum quidem caput statuimus præcipuum, vt malo primum orienti obuiam eatur, ne puta ab incremento eius & periculum augeatur.

Recte enim Tacitus 14. Annal. *Sæpe modicis remediis primi motus consedere. Qua in re laudanda Ciceronis aduersus Catilinam industria est.* Salust. & Plutarch.

VI.

Vnde vel in primis profuerit, seditiones quam seuerissimis legibus coërceri, *a*) & in eas publi-

publicos accusatores habere. Delatores vero ita, ne eis vlla fides vlterius habeatur, quam vt delatione facta, eu igiletur *b*.

a) Arist. 5 Polit. *Principes certe Romani in eas v... crimen læsæ maiestatis animaduerterunt*, l. 1 ad L. Iul. Maiest.

b) L. singuli. 14. C. de Accus.

VII.

Sed vel in primis in hac re multiplex imploratio Diuini Numinis exercenda est; non quidem in principio tantum, sed & progressu & omnibus adeo momentis motionis sedandæ.

Frustra enim excubant custodes nisi Iehoua conseruet ciuitatem.

VIII.

Adeoque, cum peccata, reuera conuersionum ac interitus inferendi causam primam, Deo ipsi tribuant, principibus in primis vacandum est pietati.

Nihil enim est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe; nihil est, quod ita nequeat occasus subiacere, quam vera religio, l. inter claras. C. de Sum. Trin. & Cyrill. in lib. de Recta Fide, ad Theod.

IX.

Imo opera danda, vt populus totus quoq; grauiter in ea erudiatur.

Quod in Theodosio commendatum est, Ambros. in lib. de Obitu Theodosii. *nec minus in Carolo Magno & omnibus adeo Principibus Deum timentibus. Et pleni sunt libri sacri exemplorum, quibus cognoscitur respub. Iudaica bene fuisse sub Principibus piis, male vero sub impiis.*

Quod

X.

Quod usq; adeo eis incumbere censemus, vt & exemplo & legibus politicis eandem omnino promouendam censeamus, & officio adeo ipsos deesse, si in eo negligentes sint.

Qualis enim est rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam, Ecclesiast. c. 10. *Et ad officium Principis hac in re pertinet istud Isaia:* Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. *Esaiæ* 49. *&:* Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi *eiusdem* 60.

XI.

Non vt superstitionem coerceant suppliciorum gravitate, sed ut pietate propria, & præmiis populo præeant, pænis (præterquam in seditiosos blasphemos) levissimis animadvertāt.

Sic Theodosii Lex fuit, quæ in conuictos hæreticos decem librarum auri pænam statuit. tit. C. Theod. de Hæret. *Ipse interim exemplo suo religioni beneficii contulit plurimum. Iustinianus vero eos administratione reipublicæ prohibuit.* *Geor. Cedrenus.*

XII.

Dein observandum, ut summa tranquillitate reipublicæ parta, vel maxime invigiletur, ne incendium aliquod, aut inundatio civitatem obruat improvise.

Recte nimirum Nasica cum Romanorum pleriq; rempublicam suam deleta Carthagine iam optimo statu locatam existimaret, contra censuit, eam se tum demum maxime periculose habere, Plut. in lib. de Cap. Vtil. ex hostib. *adde* Liv. lib. 26. Val lib. 7. c. 2.

XIII.

Et vero, si periculum aliquod versetur, ut in bello, ita & in pace nihil spernendum, unde reipublicæ vel bene esse queat, vel male.

Vt recte Tacitus monet, lib. 2. Annal. Comin. lib. 3. *Cicero certe consilium Fulviæ mulieris in detectione seditionis Catilinariæ sprevit minime.*

XIV.

Et si fraus suspecta quidem sit, non tamen protinus detecta, iniicienda omni arte & occasione consiliis seditiosorum mora est, ut ita reliqua detegantur.

Vt interim de conspiratione quam secreto inquiratur. Consiliumq; hac in re bonum est, si vicinorum populorum apparatus in bellum & invasionem nostri spergatur.

XV.

Quamobrem & consultum erit magistratui præfici præstantissimos, hoc est vel doctrina vel ingenio, vel prudentia, vel probitate ac rerum usu, vel plurimis hisce præceteris eminentes.

Cum & respublicæ malæ sola prudentia magistratuum bene gubernentur. Arist. 5. Polit. *Et Iustinianus qui ius nostrum collegit, & ob rerum per legatos gestarum, gloriam nonnullis maximus habetur. ipse scribitur ignavus fuisse.* Procop. de Bello Pers.

XVI.

Vt tamen iisdem officia quam maxime fieri potest, pro meritis dividantur; a) utque magistratus

ſtratus, ſi qui poteſtate ſua abutantur, paribus creatis, cohibeantur, *b*) maiores vero magiſtratus brevi tempore finiantur*c*.

a) *Quia & hac ratione bene meritis ſatisfiet, ne & eis, contra ſi fiat, quandoque ſit occaſio querendi aut diſſentiendi iuſta.*

b) *Vt Romæ factum in creatione tribunorum plebis adverſus magiſtratus ſenatorios; & Spartæ in Ephoris.*

c) *Vt dictatura Romana finiebatur tempore ſemeſtri.*

XVII.

Deniq; & in mutationibus inſtitutorum & legum magna adhibenda prudentia eſt, adeoq; formidanda potius mutatio omnis quam ut periculum ob eam aliquod ſubeamus.

Certe ſenſim in ea re agi oportet. Vt Auguſtus, tametſi plurima Legibus Iulius ex priſci iuris forma mutarit, hac tamen cautela ujus ſemper eſt: quod quædam in tempore diſpoſuerit, quædam reiecerit, eaque re bona cum gratia civium poteſtatem occupatam pacatiſſimam tenuit, ut Dion annotat. Agis vero cum repente Leges Lycurgi Spartanis mutare vellet, non ſolum voti compos factus non eſt, ſed & ſibi exilium attulit. Plutar. in Ag. Adde his tres ultimas aphor. ſection s præcedentis.

XVIII.

Quod ſi res iam ad turbam ac vim manifeſtam devenerit, Principes, ac Magiſtratus, & quicunque cives prudentiores melius fecerint, ſi ſe parti utrique ſubducant.

Sic Cicero, Pomponius Atticus, Aſinius Pollio, ſe diſſidiis civilibus ſubtraxere. Cic. 2. Epiſt. Fam. Velleiius l. 2. Hiſtor.

XIX.

Alias enim & se & rempublicam, præsenti naufragio exponent, ceteri vero qua instructi esse debebant authoritate ad movendas partes se omnino destituent.

Vt recte Cato (qui ipse tamen eadem imprudentia ante lapsus) Ciceronem notaverit, quod cum se bello civili inter Cæsarem & Pompeium, utrique parti principio subduxisset, imprudenter postea alteram eligeret, nec se talem virum cōservasset idoneum partibus conciliandis.

XX.

Neque enim otiosos eos rerum spectatores esse decet, sed machinationes reipublicæ adversas impedire, vel clam per consilia arcana, *a)* vel palam *b.*

a) *Quæ τὰ σοφίσματα* Aristoteles. 5. Polit. cap. 8. *Polybius ἐπιχειρήματα, alii aliter.*

b) *Si aliter fieri nequeat. Igitur legem* Solonis *improbandam putamus qua puniendos statuit ab utraque dissidentium parte abstinentes. vi. tamen* Bodin.lib.4.de Rep.c.7.

XXI.

Per arcana quidem, quamdiu rem ita conficiendi ulla facies est, *a)* ut scilicet exigente tandem necessitate, authoritate sua frui illibata queant *b.*

a) *Sic Iustinianus prudentissime factiones suo tempore ob colorum diversitatem ortas, repressit, seditionū authoribus corruptis.* Zonar. in *Iustin.*

Pisan-

Pisander vero seditionem Atheniensium in ipsum institutam cohibuit suspicionibus in populo incensis, dempta eis hac ratione secretorum consiliorum fide. Thucyd. lib. 8. *Sic* Roman. *plebem seditiosam nonnunquam in colonias deducebant*, Liv. lib. 10.

b) *Quia plebs eos facilime exaudit quos sibi non reputat hostes. Sic Plebs Romana in Aventina secessione, L. Valerio & M. Horatio demum auscultare voluit, quos sibi faventes reputabat.* Liv. lib. 3. *Idem de Menenio Agrippa proditum in casu omnino simili est.* Liv. lib. 2.

XXII.

Si vero omnino palam animadvertendum in delinquentes sit, præstiterit etiamnum quoad fieri potest, gravissimis minis tumultum cohiberi, quam vindicta severa.

Sic Alexander Hephœstionem & Craterum, cum periculo totius exercitus dissidia alentes, verbo sibi mutuo reconciliavit, minitans se hostem futurum ei, qui alterum vel dicto denuo lacesseret. Eleganter enim Seneca: Ita legum Præsidem, civitatisque Rectorem decet, quamdiu potest, verbis & his mollibus, ingenia curare. Transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret: novissime ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles decurrat. Vltima supplicia sceleribus ultimis ponat. *in lib. de Ira c. 5.*

XXIII.

Nisi tamen res ipsa doceat aliter provideri non posse. Quo casu interim in paucissimos

eosq; seditionis authores, animadvertere præstat multitudine semper excusata.

Vt interim supplicio illorum ad paucos pœna, metus ad omnes deveniat. Veg. lib. 3 c. 4. *Certe qui multitudinem punierunt etiam præstātissimi Principes semper ob hoc vituperati sunt. Vt de Theodosio & Iustiniano constat. Quare graviter Seneca d. lo.* Vltima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat nisi quem perire pereuntis etiam intersit.

XXIV.

Summopere vero cavendum est, ne multitudini spes veniæ adimatur, ex ea enim re desperatio nascitur fortissima in omnem vindictam,

De qua supra Sect. præcedente, aphor. 22. actum.

XXV.

Et hæc de periculo multitudinis. Quod si vel unus vel diversi virtute, aut meritis, aut potentia ceteris præcellant, metuendumq; sit ne ob splendorem hunc quandoque reipublicæ graves fiant, perinde quoque providēdum est

A potentia enim nimia paucorum, bella omnia civilia Romæ orta, Athenis vero tyrannides diversæ. Quo sensu & Catulus de Pompeio, esse quidem virum excellentem & optime de republica meritum, sed iam nimium liberæ civitati, nec in uno omnia reponenda. Et recte Cato Pompeium quoque ipsum monebat, tot legiones Cæsari Galliam proconsuli tenenti non credendas, cui quidem ille tum (authoritate & rerum gestarum gloria, qua apud Reges socios & maxime Orien-

Orientis valebat, confidens) ait: Vbi pede terram pultaro, replebo exercitibus Italiam. Quod praestari ab eo Cato, iam urbe deserta; salse postulavit, sed frustra. Plutar. in Pompeio.

XXVI.

Vnde quæritur de Ostracismo quo scilicet virtute aut meritis eminentes exilio multari solent, *a*) sed nos eum in republica bene constituta non existimamus ferendum *b*.

a). *Fuit id Ephesiis argivis, Athenensibus receptum; Simile coercitionis genus receptum Syracusis* Diodor. Sic lib. 11.

b) *Legem enim Ephesiorum Ostracismo similem recte* Cic 5. Tusc *reprehendit, quasi in amotionem virtutis comparatam. Et* Arist. 3. Polit. c. 8. *Cum exposuisset eius rationem, fatetur quidem qualem qualem ostracismo inesse iustitiam civilem: melius tamen fatetur provideri ab initio ne tali medicina sit opus.*

XXVII.

Sed & illud quæri potest, An Ostracismus aliquis, si non legibus, saltem usu receptus fuerit Romanis: nos id defendemus.

Tarquinius enim Collatinus vita innocentissimus exactis regibus, confestim civitate prohibitus, licet occasione domus in alto aedificatae, & odii nominis regii praetextu. Caesonis etiam Quintii damnationem à Lucio Lucretio improbatam, ex eadem ratione apparet profectam esse. Liv. lib. 3. *Q. Caecil, Metellus Numidicus, quia in Legem Apuleiam per vim latam*

iurare noluit, in exilium actus est. Nec dissimile accidit Scipioni Aphricano, qui per inuidiam repetundarum accusatus in exilium voluntarium concessit. Sed nec dissimile Ciceroni & aliis. Quod si quis dicat, id invidia magis paucorum quam consensu omnium effectum: dicam idem de ostracismo accidisse, cum & hic seditiosa fere factione effectui sit datus. Aristot. d. lo.

XXVIII.

Quid ergo remedii in tam eminentes, cum utique reipublicæ graves et periculosi videantur? Nos remedium tutum putamus, si eis nulli magistratus credantur, *a*) credantur interim curationes *b*.

a) *Quia ita sine publica potestate erunt.*

b) *Quod his fere nulla adiuncta potestas sit, honorati interim sine per eas.*

XXIX.

Deinde id quoque consultum putamus, ne ulli cives maiori famulitio domestico instructi sint quam ministri unius.

Sic enim Venetiis nulli Senatorum plures uno famulo domesticos habere dicuntur. Quod ingens eius Reipub. arcanum est adversus omnem vim internam appositum.

XXX.

Denique Principibus ipsis adversus quamvis turbam tutissimum munimen est benignitas & clementia, id vero est, declinatio severitatis.

Id Augusto, id Vespasiano, id Tito, id Traiano, id Alexandro Seuero; & ante Alexandro Magno, Theopompo, id stirpi Ortagoræ & acceptum & constans imperium seruauit.

XXXI.

Modus tamen hac in re adhibendus ne nimia familiaritate sibi contemptum adsciscat.

Recte enim Tacit. Continuum aspectum minus verendos magnos homines ipsa satietate facere. 1. *Annal.*

XXXII.

Et hæc quidem de remediis aduersus vim & commotionem internam. In externam vero vim paratā esse oportet media bellica, *a)* itemque ærarium quantum maximum fieri potest, in eiusdem subsidium instructum *b)*.

a) *Vt sunt equitum & militum cohortes, consuetæ more militari distributæ, ciuiumque ipsorum & illorum in arma assuefactiones. vt.* Bodin. Lips. Machiauell. Patric. *alios passim.*

b) *In quam rem vectigalia, capitationes, negotia (quorum tractatio statum Portugalliæ potentissimum reddidit & Venetum quodam respectu) prædæ hostibus ademptæ conuertendæ sunt.*

XXXIII.

Et hæc ea prudentia instituenda sunt, ne facile militum numerus & belli apparatus maior adornetur, quam à statu ciuitatis facile queat conseruari.

Ne pu ta|ære alieno tandem publica facultates obruantur, itaque status mole debitorum non fiat oneri ferundo.

XXXIV.


Verum rebus publicis minoribus cautum erit, si tempore pacis sibi prospiciant fœderibus plurium ac maiorum.

Vt puta ita concordia è minutis magnas, impotentibus inuictas reddat.

XXXV.

Idque tempore pacis tutius procurari dicimus, ne si id in tempus periculi differatur, in angustias redacti leges potius à potentioribus nobis dici, quam æquas inire fœderis conditiones cogamur.

Quod Campanis accidit, quos ad extrema, hostium successu redactos, se suaq; Romanis dedere oportuit, si eorum opibus defendi voluere. Dediti vero, vt recte Bodinus annotat, à subditis differunt nihil. 5. de Rep. c. 6.



APHO-

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO XV.

DE *Optimo Reipublicæ statu in genere, & optimo statu Principali in specie.*

APHORISMUS I.

AD completionem totius huius doctrinæ profuerit tandem, paucis saltem hic & disputatione sequenti agi de optimo Reipublicæ statu.

Vt scilicet hoc ob oculos posito, ex descriptione eiusdem quandoque reipublicæ consultum esse queat pro re nata.

II.

Qua in re principio quæritur, An is status optimus censeri debeat, in quo omnia ad primam naturam reducta indistincte communia sunt: *a*) quod non putamus *b*.

a) *Dubium movet quod præstantissimis etiam ciuitatibus agrorum quædam communio fuerit, vti olim Romanis, & comp[illegible] adeo etiam [illegible]m. Et eodem tendere videntur Thomæ Mori & Socratis de Republ. [illegible]*

b) *Certe tametsi com[illegible] indistincta alibi obtinuerit quandoque, tra[illegible] tamen temp[illegible]res [illegible]*

deducta est, vt ciui cuiq; sua quantitas saltem pro indiuiso sit assignata.

III.

Siquidem Deus ipse immortalis, vti Ordinum & honorum, *a*) ita & bonorum ac rerum distinctos gradus esse voluit, *b*) vt omnino ridiculum censeamus commenta diuersæ opinionis philosophorum *c*.

a) *Exemplo sit politia Iudaica per Prophetas Altissimi instituta. Eoq; pertinet istud Apostoli*. Omnis Potestas à Deo est.

b) *Et Moyses Princeps & Imperator omnium, qui vnquam, prudentissimus & fortissimus, manifestoque & præsenti semper numine rectus, consilium Iethronis soceri sui de Ordinibus Iudicum distinguendis probauit, & secutus est libens.*

c) *Atque inde Aristotelis, si cuius vnquam, in hac doctrina tractanda maxima laus fuit, quod eam ex philosophica ratione ita tractarit, vt experimentis & rerum vsui tribuerit plus quam imaginarium figmentis.*

IV.

Omnem igitur bonum Reipublicæ statum, qui quidem familiæ imperio conclusus non est. *a*) in vnum ex tribus cadere dicimus superius explicatis *b*.

a) *Imperium tamen familiare vix respublica hodie tribui potest.*

b) *Vel Regium puta, seu Principalem, vel Optimatum, vel Popularem, De quibus in genere nobis supra actum, sect.* 4.

Ex

V.

Ex iis vero si quæratur quis optimus sit, rem omnino in ancipiti videmus, adeoq; id nulli ex tribus dandum potius censemus.

Singulatim videlicet, vt rem hanc à genere aliquo status vno nequaquam pendere censeamus.

VI.

Cum & Principalis seu Regius quandoque Optimus sit, *a)* quandoq; Optimatum, *b)* & rursus etiam quandoq; Popularis *c.*

a) *Vt hodie in Gallia, Anglia, & olim in Persia (vide* Xenophont. in Cyropœd.) *quam optime compositus fuit.*

b) *Vt olim Romæ, Spartæ, Marsiliæ hodie Venetiis, Augustæ.*

c) *Vt rursus Romæ imperio Optimatum infracto, item Athenis, hodie in* Heluetia, *& Argentinæ.*

VII.

Quibus consequenter dicendum, statum Regium non semper Optimum esse; *a)* non etiam semper statum Optimatum *b.*

a) *Sunt quidem argumenta complura, quæ eum vtcunque imaginem quandam naturæ præ se ferre conuincant: sed ex eo vt conuincatur eum optimum esse non video.*

b) *Quod hic quoque non minus, mutationi & periculo obnoxius sit quam quiuis alius. Exemplis plena Historiarum omnium monumenta sunt.*

VIII.

Multo vero minus Optimum semper esse statum Popularem.

Nam

Nam & hic obnoxius mutationi est, & quidem fa[c]ilius prope quam quisquam. Tametsi Ciuitas Romana & Atheniensis etiam statu eo, quum vllo ante florentiores fuere.

IX.

At vero status Regius cum duplex sit, alter Dominatus, Principatus alter, illum certe reipublicæ minus idoneum censemus, *a)* adeoq; Principibus ipsis minus tutum *b.*

a) *Non quidem omnino ineptum, sed Harmoniæ quam inter maiestatem & populum, adeoq; statum ciuitatis esse conuenit, minus commodum. Quippe cum verosimilior dominio in seruos, quam communioni & benignæ æqualitati inter patrem & liberos similis sit.*

b) *Primo quod tyrannidi ex eo facile occasio sit, dein quod populus dominatorem semper metuat. Vnde odium, & vna periculum in ipsum. Quem enim metuunt oderunt, quem oderunt periisse expetunt, vt recte Seneca perhibet.*

X.

Idem de statu prorsus populari dicimus, hoc est eo in quo vulgus vniuersum sine discrimine admitti ad suffragia solet.

Huc pertinet illud Pausaniæ: Nullam nouimus popularem rempublicam magnos habere progressus; Atheniensibus exceptis. *& Plato;* Multorum administratio, legitimarum rerum omnium publicarum deterrima est, iniquarum optima, lib. de Regno. *Item Aristoteles:* Respublica quæ ab unius gubernatione & prima maxime degenerat, hanc esse deterrimam necesse est, 4. Polit. c. 2.

XI.

XI.

Ex quibus efficitur temperatum è duobus extremis, si vtiq; omnium quis, cæteris multo præstare.

Quo pertinet illud Laertii: Stoici aiunt eam rempublicam esse optimam, quæ sit mista ex regno, & populari dominatu, optimorumq; potentia. Diog. Laërt. lib. 7. *Adde elegantem discursum Polybii in eandem sententiam,* lib. 6. *Quod igitur alii statum Regium Optimum perhibent,* Plato, item Aristot. 8. Eth. cap. 10. Eurip. in Archelao. Isocrat. in Symmachiis *intelligendum de Rege Bono est, vt recte* Seneca lib. 2. de Benef. Optimus ciuitatis status sub rege iusto est. *Idem* Claudian. lib. 7. *Nam si quis procellas bellorum, & pericula quæ ab iis examinet, modo ob successionem aut electionem, modo ob Regum iras, diffidia, ambitionem, facile iudicabit ad status perpetuitatem Regium commodissimum non esse.*

XII.

Hoc est, Regium seu Principalem, *a)* vel Optimatum, *b)* aut etiam Popularem commodis institutis temperatum *c.*

a) *A dominatu puta & tyrannide remotum, authoritate denuo & consilio Optimatum roboratum.*

b) *In quo puta vel Princeps vnus nullus est, vel, si quis sit, potestas Optimatum supra eum, aut saltem in partem quasi Imperii admissa. Vt Venetiis modo, Lacedemone, & Massiliæ olim.*

c) *Vt olim Athenis & Romæ.*

XIII.

XIII.

Adeoque in genere, eum qui legibus optimis tam publicis, quam priuatis compositus sit *a)* ad verum ciuitatis legitimæ finem *b.*

a) *Quo sensu Aristoteles*: Has rectas esse respublicas necesse est, in quibus vel vnus, vel multi rempublicam ad cõmunem vtilitatem spectantes gerunt, 3. *Polit. c.* 5.

Perinde & Aquinas. lib. 1. de Reg. Princ. Quanto magis receditur à bono communi, tanto peior est gubernatio.

b) *Hoc est omnium & singulorum illæsam conseruationem, de quo fine egimus* supra sect. 1.

XIV.

Illud quæritur, Num præstet Principem authoritate supra Senatum esse, an vero vice versa hunc supra eum: Nos neutrum pro optimo censemus.

Eo quod Principatus in quo maiestas metuenda Senatui & Optimatibus est, dominatui obnoxius sit, vti primus principatus temporibus in Tiberio, Caligula, Nerone Domitiano deprehensum; Paucorum etiam potestas libera faciat, vt metuendi interdum tyranni plures sint. Vti Athenis sub 30 tyrannis, Romæ sub Decemuiris, & rursus sub partium ducibus, mox triumuiris est.

XV.

Eum interim statum pulcherrimum statuimus, in quo Authoritas quidem aliqua præ

Sena-

Senatu Principi est, Potestas tamen suprema & Maiestas Senatui quoque communis.

Et hac forma status Romani fuit ab Augusto instituta, & ab eodem præstantissimisque Principibus servata. Eadem etiam Spartanorum à Theopompo ordinata; eadem hodie prope Galliæ est errant enim qui Galliæ statum præ reliquis (plerisq; magis Regium putant. Cum in regno Persarum, item Angliæ & omnibus, quæ instar hæreditatum deseruntur, diversum appareat) sed Daniæ & Poloniæ status, uterque profecto per se pulcerrimus, hanc formam magis servat. Quippe ubi summa rei nobilibus & senatui cum Rege ipso communis est. Et idcirco infracta ea semper regna sunt.

XVI.

Num vero conveniat Senatui, una & munia magistratus obire, videamus: verumque est id non admittendum indistincte esse.

Nam & inde invadendæ summæ occasio facilior. Quod hac ratione maxima eis reipublicæ potestas tribuatur; imperio scilicet cum facultate deliberandi de Republica coniuncto.

XVII.

Cum in statu optimatum id per se omnino periculosum sit.

Quippe in quo Senatum diximus pene Principis loco esse. Si igitur magistratuum potestas eis una tribuatur, periculum erit ne collegia alia, quibus & una de gravioribus reipublicæ rebus deliberandi authoritas est, ea refrustrentur.

XVIII.

In regio vero seu Principali non perinde, potissimum in Republica non ita magna.

X Cum

Cum quia Regia potestas authoritati Senatus præsit, ut ex eo in officio contineantur: tum quia Principi ipsi non ita magno iudiciis vacare minus indecorum est. vi. s. Sect. 6. & 7.

XIX.

Pessimum vero omnium & casui proximum in republica populari censemus, si Senatus reipublicæ Administrandæ perpetuus sit, (alias n. contra est) & ei iudicia committantur.

Ex hoc enim Senatui oritur vulgi contemptus, huic vero vicissim odium in illum. Vt harmonia concordiæ sublata, statum quoque ipsum pessundari, vel saltem cum periculo civitatis inverti sit necesse.

XX.

Quando vero Legibus & institutis Optimis, Optimum Reipublicæ statum perfici dictum est, quæritur an id adeo obtineat ut ea præcise ad populorum mores & natu am oporteat accommodari? *a*) non putamus *b*.

a) *Quod Bodino visum est & longa disputatione discussum*

b) *Quia natura quidem mores regit, non tamen quasi penicillo depictos.*

XXI.

Flecti tamen illa ac tempe ari pro regionum ac nationum variet te, commodum putamus, ut nimirum vitia iis corrigantur, virtutes vero exc tentur.

Sic Populis Magnanimis Leges Liberaliores conveniunt: uti Romanis & Græcis olim, hodie Germanis. Gallis, Hispanis, Britannis, Belgis, Polonis Suecis Danis; seruilibus se eriores, ut Moscovitis, Tartaris, Syris, Aphris.

XXII.

XXII.

Vnde illud quæritur, An Aristoteles recte scripserit, Barbaris Populis statum Regium magis quam politioribus convenire & nobis idem videtur.

Contra quam Bodinus ratus est. Ratio in promptu est, cum Barbari fere ipsi consilii expertes sint adeoque & oderint scientias & disciplinas bonas, ut consequenter inepti imperio sint. Dominatum vero veluti Divinum quippiam suspiciunt & venerantur, quod ipsi prope conditionis servilis existant. Et quidem Peruani, Americani, imo & Indi mirari dicuntur, quoties de statu aliquo Optimatum aut populari mentio fit.

XXIII.

Ita tamen ut & de nationibus mollissimis idem dicamus: *a*) non tamen simpliciter & absolute.

a) *Itali enim fortissimi olim & omnium gentium maxime magnanimi, imo domini, ne potentissimo quidem Imperio Romano cohiberi potuere. Sed civitati gravissima bella intulere, adeo quidem ut victis etiam bello sociali postremo, Romani ius civitatis communicare maluerint, quam periculo exponi belli recrudescentis. Hodie vero plerique à dynastis minutis, qui vel Ducatus vel Comitatus suos vel ex beneficio, vel privilegio Imperatorum habent, vel à Rege Hispaniarum vicario aut beneficiario Imperii aut Pontificis, prope patiũtur dominationẽ.*

XXIV.

Sed ita, ut libertas popularis fortibus pariter & intelligentibus conveniat magis, quam stupidis & molliculis. *a*) Vnde id Barbaris

non omnino proprium putamus, sed ita si & servilis naturæ sint b

a) *Quo & Aristoteles respexisse videtur. Vnde idem & Dominatum imperium herile vocat. Legitimum tamen est quia vel successione defertur, vel bello quaritur.*

b) *Germani enim & Belgæ olim quoque Barbari, liberi tamen fuere & optimis imperiis assueti,* Tacit. de Morb Germ.

XXV.

Notandum tamen Regni quoque genera plura dari, non quidem tam forma quam causa diversa.

Cum puta aliud successione, aliud electione, deferatur. cuius posterioris exempla sunt in Imperio Romano & regno Daniæ, Suetiæ, Poloniæ; Prioris in regno Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum.

XXVI.

Vnde quæritur, an tutius reipublicæ sit, Regē ab stirpe, an vero ab electione quæri: & quidem argumenta in utramque sententiam varia sunt: posterius tamen probamus.

Aristotelem secuti. Licet enim Bodinus (uti is eruditus quidem & peritus disciplinæ totius huius probando tamen id, quod in Gallia receptum, valde superstitiosus est) sententiam illam ut imperitam reiiciat, & apud Sarmatas ac Gothos pene solos receptam. (Danos & Polonos notat) compertum tamen semper est ea regna minus obnoxia tempestatibus bellorum fuisse, atque Reipublicæ ipsi tutiora quæ ab electione dependent. Qualia Germanorum & Italiæ imperium etiam [illegible] & oli[illegible] Daniæ, Poloniæ, [illegible] olim. Ratio in promptu est, quod electi magis legibus astricti

stricti sint, adeoque fere in leges tenentur iurare. Ceteri vero & sibi & posteritati magis student, adeoque semper eo annituntur, ut & sibi & successoribus Dominatum & opes augeant. Exemplo sint Germaniæ Principatus, quorum alii successione deferuntur, ut seculares, alii electione ut Ecclesiastici. Posteriores tamen liberalioribus fere legibus reguntur, & exactionibus paucioribus gravantur. Quod si ille moveat ex occasione interregni sæpe bella orta: an Rege non electo defuncto ille non idem fassurus sit Alexandri Magni soboles enim diu post patrem defunctum necata est, & interea quot bellis, quot cædibus distractum illud imperium est. Denique & imperio Romano an unquam peius fuit, quam sub Caligula, Nerone, Domitiano, qui scilicet successione qualiquali, & authoritate præcessorum virtute parta confisi, diffusi in omne nefas fuere. Et vero si is status optimus, qui libertati & tranquillitati civitatis magis appositus, an non præstiterit eum regem habere, cuius potestas à dominatu remotior sit. Talis vero est is cuius authoritas dependet ab electione. Quid vero erit stirpe ipsa mentis inopia laborante (quod utique vidimus nuper, & creduntur fere vitia, uti virtutes animarum proportioni obnoxia) quam male prospectum populo erit?

XXVII.

Sed & cum Regna alia ita composita sint ut legibus certis non astringãtur, *a*) alia vero contra, *b*) utra præstent quæritur, posteriora præcellere ex superioribus constat *c*.

a) *Qualia olim pleraque fuere. Salust. Iustin. & hodie Dominatus plerique.*

b) *Quod hodie pene in omni imperio legitimo obtinet, puta quod non cadat in dominatum.*

 c) *Nam*

c) *Nam cum eum statum optimum statuerimus, qui legibus optimis sit compositus. vid. supra aphor. 13 eadem Sect. utiq; optimus esse non potest, in quo nulla lex teneat rectorem.*

XXVIII.

Illud quæritur, num Aristoteles genera Regni recte in quinque partitus sit, puta Heroicū, Barbaricum Laconicum, Æsymnetiam seu Tyrannidem Electivam, *a*) non putamus *b*.

a) Arist. lib. 3. Pol. c. 11.

b) *Licet enim nonnulla horum forma inter se diversa videantur, non tamen omnia sunt, adeoque in genera duo, aut tria utique tantum cadunt.*

XXIX.

Heroicum vocat quod involentes ex Regis merito exercetur; *a*) Barbaricum quod secundum leges ex progenie defertur; *b*) αἰσυμνητείαν Tyrannidem Electiuam; *c*) quartum Laconicum, *d*) quintum, quo unus omnium habet potestatem *e*.

a) *Itaque huic & belli, & iudiciorum, & sacrorum arbitrium fuit.*

b) *Et hoc coincidit cum primo, præterquam quod illud astrictum legibus scriptis non sit.*

c) *Quam, quia vel secundum leges vel ex arbitrio regit in alterutrum præcedentium coincidere oportet.*

d) *Quod Legibus quidem astrictum erat, belli tamen tempore extra fines imperii potestatis libera erat, uti & hodie & olim duces belli plerique.*

e) *Hic vero proprius dominatus est: quamobrem Aristoteles eum imperio familiari comparat.*

XXX.

Recte proinde idem auctor eadem omnia

deinceps

deinceps ad duo redegit, regium puta & dominicum.

Vterque enim diversimode obtinetur, puta vel electione vel successione, vel bello quantum ad formam tamen regendi omnium attinet, ea tantum duplex est, puta aut purus, ut Dominatus, legitima potestate tyrannidi proximus, aut Principatus, qui puta legibus, moribus, aut rationi utriusque loco astrictus cum Primatibus aut Populo imperium commune habet. Cum Populo, ut primis temporibus Roma, ubi urbis conditor complura etiam ad summam rei pertinentia Populo reliquit; uti & olim in Græcia Reges plures. Cum Optimatibus vero etiamnum Reges pene omnes (qui saltem non una & domini) potestatem communicant.

XXXI.

Denique & his consequens est, Regium statum omnem, solo dominatu excepto, mixtum esse. Quanquam illud in omnem eventum verum maneat, alibi Reges quam alibi magis solutos authoritate optimatum esse.

Licet enim Regius dicatur, & sit adeo ob summam Principis potestatem, eoque à potiore sui parte referat Monarchiam: respectu tamen authoritatis vel populo vel optimatibus communicatæ haud absurde dicetur mixtus. vi sup. Sect. 5.

APHORISMORUM POLITICORUM SECTIO XVI.

DE Optimo statu Aristocratico & Populari.

APHORISMUS I.

DE Optimo Reipublicæ statu recte nobis superius statuisse videmur, eum Regio soli tribui non posse.

Vt pluribus explicatum Sectione præcedenti est, potissimum vero aphor. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

II.

Quod si ita est, consequatur oportet id in alterutrum etiam, Optimatum puta vel Popularem cadere posse.

Certe exempla eius rei complura censeri queant ut de statu Massiliensium Spartanorum, Romanorum, Hodie vero Venetorum, Helvetiorum.

III.

Quamobrem & de optimo statu Reipublicæ in specie acceptæ *a*) hac disputatione agemus, utpote quæ res non minorem usum quam dissertio de optimo statu Regio habitura videtur *b*.

a) *Rem-*

a) *Rempublicam in specie dicimus eam, quæ vel statu Optimatum vel Populari constat, quod nimirum in iis res hoc est imperium Populi magis, quam Principis alicuius vnius censeatur. Vt Latinis authoribus etiam recte ea vox ita in specie sit vsurpata* vi. supra sect. 1.

b) *Propter excellentiam & potentiam qua fere status eiusmodi prævalent & fœdera eorum, quæ à Principibus ambiuntur*

IV.

Et vero tametsi superius ita statuerimus, nullum statum è tribus per se respectu alterius optimum esse, si tamen aliquis delectus habendus, certe contra communem sententiam statum Regium postpositurus.

Nam si status Reipublicæ optimus est is in quo ad verum eius finem plura attingertur, probabile vtique est in Optimatum aut Populari (cum vtrique ei fere complures præsint) plures ad bonum publicum collimare Certe experientia ipsa id docet Et quidem vrbs Romana eius rei manifestum exemplum præbere queat, nisi eadem tandem propriis viribus nimiaq; potentia paucorum fuisset confracta. Quod olim prævidérant Principes Hetruriæ, differentes palam; Romanam Potentiam æternam futuram, & non nisi propriis viribus confringi posse. Liu.

V.

Et quidem adeo, vt quo magis quisque regius fuerit, eo magis eum remotum à vero reipublicæ fine futurum.

Quod Principes, utut maxime rempublicam administrent ac procurent, tamen sui & suorum interim magis curam gerant, semperque laborent firmare & augere potentiam posteritati.

VI.

Vt consequenter Dominatum unius populo minus salutarem fore statuamus.

Cum Dominator rempublicam instar familiæ habeat, hoc est, subditos prope uti servos patrimonia eorum prope uti peculia. Vt consequenter civibus singulis in dominatu minus prospectum sit & Principis causa Reipublicæ status magis quam Populi comparatus videatur.

VII.

Prorsus vt Ochlocratia, hoc est turbæ vniuersæ sine delectu potestas summa neutiquam salutaris erit.

Cum fieri nequeat, vt bene sit isti reipublicæ, quæ nullum delectum habet eorum quibus de republica deliberandum est. Quod accidit vbi cuique sine discrimine ad suffragia patet accessus.

VIII.

Quod si ita est, temperatum è duobus extremis optimam politiæ harmoniam statuere tandem ponendum erit.

Cum hic neutram in partem peccet propriaq; ratione ad reipublicæ verum finem contendat, Quia in ea plebis facultati & Regis rigori minimum tribuitur.

IX.

Is vero vel Regius, quem Principalem in [illegible] dicimus, a) vel Optimatum, vel Popularis erit b)

a) Sic

a) *Sic Principatus Romanorum dictus fuit, cum tamen is vere Regius fuerit. Licet enim exosum illis Regum nomen ab antiquo esset. Legem tamen qua Principi omnem potestatem contulere, Regiam dixere.*

b) *De quibus duobus infra.*

X.

Sed is demum, vti & supra statuimus, qui optimis legibus ad Optimum reipublicæ & singulorum finem & tutelæ & quietis compositus est ac formatus.

Vide supra sect. præced. aph. 14. & 13. *vbi id pluribus deductum.*

XI.

At cum etiam status Optimatum is sit, cui Rex aliquis, Dux vel Princeps præest, qui modo imperio & potestate suprema sit infra Senatum.

Vt Lacedæmone olim, vbi Rex præerat, Romæ vbi Princeps Senatus, Venetiis modo vbi Dux præest. Qui tamen omnes tantum præsides fuere Senatus, authoritate & potestate infra eundem.

XII.

Recte quæritur num Principatus in specie dicatur iste ipse, a) an vero ille in quo Rex, Dux, Princeps vel similis nominis dynasta potestate suprema præ Senatu est: Nos posterius probamus. b)

a) *Quod Bodinus subinde contendere videtur, sed disputatione prorsus varia.*

b) *Vt in Republica Romana, Principatibus hoc est regnis Ducatibus, Dynastiisque aliis Europa hodie plerisque.*

XIII.

XIII.

Priorem tamen illum etiam Principatum dicere licebit, *a*) ſed ſignificatu paulo latiore, cum vt Principis, ita Principatus ipſius vox etiam generalis ſit *b*.

a) *Sic regnum Laconum dictum olim fuit, vt hodie Principatus Venetorum.*

b) *Ad quemcunque ſtatum pertinens.*

XIV.

Illud tamen ſemper, & pro immoto ſtatuimus, Optimi ſtatus cardinem vniuerſum in bonis legibus ad optimum reipublicæ finem compoſitis, magis quam formæ diuerſitate conſtare.

Cum leges optimæ etiam ſtatum, qui alias periculoſus apparet, politum ac pulcrum reddant. vi. ſup. ſect. præced.

XV.

Vti res Romana poſteaquam & vna ſoli plebi poteſtas condendæ legis fuit, & Athenienſium adeo plurimo tempore prope ochlocratiæ ſimilis fuit.

Legibus tamen & inſtitutis optimis id effecere, vt omnibus ceterorum prælucerent & anteirent.

XVI.

Excepto eo quod infimæ conditionis & turbæ homines à iure ſuffragiorũ remoti fuere.

Hoc

Hoc enim vno à vera anarchia vel ochlocratia differebant.

XVII.

Namque vbi id est rempublicam difficiliùs constare posse putandum est, vtpote cum multitudo tenuior opis exiguæ & consilii ferè nullius sit.

Eoque nulla ratione ad reipublicæ administrationem admittenda.

XVIII.

Et igitur quod Plato & Aristoteles eis in ciuitate locum non concedunt, sed excludunt ab ea in vniuersum.

Aristoteles in Polit. & Plato de Republica *passim. Quod & alii plerique sequuntur,* Bodin. Petr. Gregor. *alii.*

XIX.

Cum modo accipiendum & ratione est, vt excludantur tantum à reipublicæ statu, hoc est iure Magistratuum & Suffragiorum.

Cum isti ipsi authores, & potissimum Plato & Aristoteles diuersis in locis eos statuant materiem ciuitatis ipsius; rectè vero, cum in iis plerunque maxima multitudo consistat.

XX.

Nam aut ciues eos esse oportet *a)* aut seruos, aut peregrinos, *b)* quartum non datur. At vero si ciues, etiam ciuitatis participes *c.*

a) *Ciuis enim & ciuitas inter se relata sunt, vt vno posito & alterum poni necesse sit.*

b) *Peregrinorum voce generatim accepta pro omnibus iis, qui ciues non sunt.*

c) *Per rationem ad lit. A. positam*

XXI.

XXI.

At vero quia potentia ciuium nimia, Reipublicæ periculosa est, *a)* recte Aristoteles docuit. Optimam ciuilem societatem esse, quæ ex plurimis mediocribus constet *b.*

a) *Quod pauperes & egeni eis sæpe inuideant, adeoq; diuites ipsi sæpe dominatum affectent & idcirco in dissidia & lites ac bella ciuilia cadant, vti Romæ & alibi compertum est sæpe.*

b) Aristot lib.4.c. 1.

XXII.

Qua ratione motus Aristoteles ipse qui statum Regium præ ceteris commendat alias, *a)* tandem fatetur, statum Popularem inter cæteros eminere *b.*

a *Passim* in Politic.

b) *Eo quod in hoc pluribus communicentur honores, ideoq; paucioribus querendi aut dissidendi occasio sit.* Arist.d lib.4.c. 11.

XXIII.

Licet vero superioribus disputationibus abunde definitum sit, quis status Optimatum, quis Popularis dicatur, videndum tamen an illum ibidem definierimus recte, cui pauci, hunc cui plures præsunt? Quod omnino dicendum est. *Idque ex communi veterum & recentiorum politicorum sententia & doctrina.*

XXIV.

Quando igitur Aristoteles statum Optimatum describit, in quo opulenti honoribus præsunt, Popularem cui præsunt minus locupletes: *a)* certe eum minus recte hanc rem censemus examinasse *b.*

a) Lib.

a) Lib 4. Polit. c. 4. *vbi reprehendit alios qui nostra sententia conueniunt.*

b) *Cum etiam ipse Aristoteles passim statum Optimatum dicat cui præsunt plures. Recte vero, quia quod optimatum potentiam seu Aristocratiam dicimus, id non de opibus seu potentia priuata, sed publica intelligimus. Vt recte Philosophus ob hanc sententiam à Bodino sit reprehensus.*

XXV.

Quod vero idem author recenset diuersas species status Optimatum & Popularis Dominationis, non probamus.

Arist. d. lib. 4. c. 5 *& 6. cum ea non tam diuersas species rerumpublicarum constituant, quam eorum qui reipublica præsunt in facultatum & opum copia vel defectu, qualitatem diuersam.*

XXVI.

Illud etiam quæri solet, Num Regna quæ ab electione dependent statui Regio an optimatum annumeranda sint: nosque ea statui Regio cum communi Politicorum schola ascribimus.

Cum eadem iis potestas, idem ius, eadem authoritas & maiestas sit, quæ Regibus ceteris. Tametsi inter regna & Principatus ipsos plurimum differentia sit, & pro Legum varietate Principi huic minus alteri magis sit concessum.

XXVII.

Nec differre adeo eadem à regnis ceteris, præterquam solo medio delationis.

Ius enim arctius & dominationi paulo vicinius regna ea conferre videntur quæ deferuntur successione.

XXVIII.

Quia tamen hic status participare magis à statu Optimatum aut Populari videtur, si quid in hac re statuum diversitati tribuendum, alterutrum eum reipublicæ utiliorem censemus.

Cum, ut supra dictum, in utroque hoc plures præsint, & idcirco ii magis contendant ad verum reip. finem.

XXIX.

Deniq; & hic examinandum an fœdus Belgicarum Provinciarum, & Civitatum Helveticarum civitatem seu rempublicam unam aut plures constituant, posterius probamus.

Cum nimirum Provinciæ Belgicæ singulæ ius supremum tueantur, & civitates Helveticæ singulæ perinde solæ.

XXX.

Item utrum præstet Regionum Belgicarum fœdus redigi in rempublicam unam? non putamus.

Propter nationum in exiguis regionibus summam humerum diversitatem; adeoq; & politiarum nimiam differentiam.

XXXI.

An id possibile sit, & fieri sine periculo interitus queat: perinde nec hoc dicendum putamus.

Idq; ob rationes aphorismo præmisso additas. Quin & summa difficultatis res fuit, eas in fœdus reducere, cum sub Principibus antiquitus an singulis gubernatoribus, hoc est principibus diversis fuissent recti. Diversitas vero Politiarum tanta esset ut conari statum in iis unum constituere, nihil aliud foret, quam ima supremis miscere.

XXXII.

XXXII.

Denique illud addimus in confirmationem sententiæ nostræ, vti multis minus probandæ (Rempublicam puta, præferendam statui Regio.) statu Veneto nullum vnquam præstantiorem fuisse.

Quippe qui aduersus proditionem, dissidia interna, ambitum, & omne nefas inuictus est, & vix aliqua in re possit emendari.

XXXIII.

Quibus positis, præterea statuimus, nullas vnquam respublicas, virtute vel domestica, vel bellica præ ijs fuisse quæ statu vel Populari vel Optimatum constitere.

Macedones enim clari, sed sub vno atq; altero rege tantum, Assyrii sed nulla magna potentia lacessiti. Romani vero, Carthaginenses, Græci, Veneti, Heluetii, Belgæ aduersus summos dynastas semper inuicti fuere.

XXXIV.

Nam & respublicæ minimæ plerumq; diu florentes constitere, a) & in maximas hostibus magnis pariter & minimis confractis, euasere. b)

a) *Eiusmodi enim fuere Ætolorum singulæ, Achæorum nonnullæ, & hodie Heluetiorum omnes; Venetorum etiam ab antiquo, Lubecensium item.* b) *Cuius rei exempla euidentia sunt in statu Romanorum, Laconum, Carthaginensium, Bernatum.*

XXXV.

Regij vero ſtatus magni quidem aliquandiu floruere, *a*) exigui vero ab initio & minus potentes raro euaſere in potentiam eminentem. *b*

a) *Quod ſatis frequens ab omni ſemper æuo fuit, cum regna maxima fere conſiſtant donec ab aliis, vel potentia, vel virtute paribus aut maioribus, tanquam fato tacta ex alto ruant. Vti accidit Perſis à Macedonibus, Imperatoribus Occidentis à Turcis, Macedonibus à Romanis, Americanis ab* Hiſpanis *deiectis.*

b) *De regnis exiguis dicimus, vt Cappadocum, Comagenorum, Scotorum, Bohemorum, & ſimilibus regnis. Mediocria enim haud raro in maxima euaſere. Sed raro conſtantia diutina poteſtate. vide* Iuſtin. lib. 15. & 16.

XXXVI.

Illud quæritur, Num conducat in ſtatu Optimatum, vni alicui ſoli reipublicę committere adminiſtrationem? non putamus.

Cum id occaſionem tribuat & affectandi dominatum, & liberius in ciuitatis ſtatum, & quæ ad eum pertinent, graſſandi, vt olim Heracleæ, Athenis, Romæ alibi compertum.

XXXVII.

Proinde tutius erit vel Senatui ipſi, vel nonnullis ſaltem ex eo, abſentibus aut non congregatis ceteris, illam committere.

Vti Romæ, Athenis, alibi olim; hodie Venetiis, & in Prouinciis Belgicæ Fœderatæ.

XXXVIII.

Exercitatos tamen belli duces etiam tempore pacis habere consultum est, *a*) sed domi cum minore potestate *b*.

a) *Vt nimirum sint quorum opera uti etiam tempore belli queamus, idq; maiorem in certitudinem totius publici status.*

b) *Tales fuere Reges Laconum, & eiusmodi fuisse imperium Agamemnonis Aristoteles ex Homero coniicit. Cui haud absimile est munus gubernatorum Hollandiæ & Frisiæ in Belgica Vnita.*

XXXIX.

Licet authoritas eis magna tuto tribuatur, sed ita semper vt moderatio eius ac temperatio quædam obseruetur in bonum publicum & securitatem politiæ directa.

Igitur potestatis summa cura semper Senatui in statu Optimatum, Senatui Populoque in Democratia tribuenda.

APHORISMORVM.

POLITICORVM, SECTIO XVII.

DE *Rerumpublicarum Comparatione inter sese.*

APHORISMVS I.

RESpublicas vt inter sese comparemus, recte nobis facturi videmur, si principio respiciamus ad earum omnium finem.

Vt puta eo denuo ob oculos posito, nullum cœtum in tractationem huius rei admittamus, qui non pertineat directo ad genus ciuitatum legitimarum.

II.

Eum vero statuimus, Imperium bonis institutis ad vindicandum ciues omnes ac singulos à vi atq; iniuriis, societatemq; ciuilem inter eos perpetuo conseruandam, compositum.

Quam rem vt propriam notam legitimæ ciuitatis (qua rempublicam in genere definiuimus) statuimus sup[illegible] ita finem eiusdem verum referre censemu[illegible]

III.

III.

Igitur quod ad fines philoſophorum attinet, qui definiunt ciuitates cœtus quibus neceſſaria pleraq; ſuppetunt ad bene beateq; viuendum compoſitos, eos minus perfectos cenſemus.

Cum & plurimæ ciuitates multarum rerum inopia laborent, & difficilius finis (qualem quidem illi ſibi imaginantur, cõtemplationibus deuotum) beate viuendi vlli vnquam ciuitatis conditori præfixus fuiſſe dici queat.

IV.

Et quidem ſi eiuſmodi ciuitatis finis ſit, aut ciuitas ea nota finienda, cœnobia vel in primis ciuitatum nomine venire dicendum ſit, *a*) quod tamen inauditum foret *b*.

a) *Cum ea beate viuendi cauſa vel maxime ab initio ſint inſtituta, adeoque donis ac beneficiis hominum Chriſtianorum ad ſummas opes, ſeu media quiete vivendi conſcenderint. In tantum etiam vt diuerſorum principum conſtitutionibus prouideri oportuerit, ne liceret eis vlla amplius bona acquirere. Vt quidem Conſtitutione Philippi Burgundiæ Ducis, nec non aliorum cõtinetur.* b) *Nec dici adeo ita poſſint, cum collegia fere tantum minutiora ſint, quæq; & Latinitatis ſtudioſis familiarum modo nomine ſint nuncupata; ſoliuſque religionis & contemplationis rerum diuinarum cauſa.*

V.

Hiſce poſitis, generatim ſtatuimus, quemcunque cœtum cui hæc nota conueniat, quiq;

huius finis causa sit institutus, ad genus aliquod civitatum referri, contra vero qui huc referri non possit, ab eo excludi.

Neq; enim hac de re quid vlterius addendum hic censemus, cum id late explicuerimus sup. sect. 1.

VI.

Ad Comparationem igitur ipsam vt procedamus, eius duplicem modum prosequemur, primum quidem statuum, deinceps populorum seu ciuitatum singularum inter sese.

Statuum quidem generaliter, & omnium adeo, populorum vero seu ciuitatum singularum non quidem vniuersarum sed præstantiorum.

VII.

Statum igitur omnem triplicem posuimus, *a*) Monarchiæ, *b*) Aristocratiæ, *c*) Democratiæ, *d*) sed ita vt locum etiam alicui mixto dederimus, *e*) quem tamen à præstantiore sui parte quo modo referri posse ad aliquem è tribus illis putamus *f*.

a) Sup. sect. 4.
b) *Cuius Summa vnus praeest.*
c) *Cuius Summa præsunt plures.*
d) *Cuius Summa præsunt Populi pars maior.*
e) *Seu temperato vtcunque ex generibus diuersis.*
f) *Vt quidem aliquis status mixtus sit re ipsa, denominari tamen vtcunq; ab eo possit, qui in eodem praualere videatur.*

VIII.

Hi igitur comparati inter sese, nonnulli aliquid

quid similitudinis in principatu seu rei Summæ habent, nonnulli vero prope in vniuersum nihil.

Omnibus enim pariter Reipublicæ Summa, hoc est, Principatus, item, status, magistratus, munera, ceteraque sunt quæ maxime ad rempublicam tuendam pertinent.

IX.

Similitudinem enim maximam habent Aristocratia & Principatus, ita tamen vt genere toto maneant diuersa.

Genere toto dicimus, seu (ut logici plerique) specie. Siquidem unum generale genus, Rempublicam puta seu eius statum habent, cuius species singulæ sunt respublicæ in hunc vel illum statum cadentes. Vt etiam eodem modo Aristocratia & Principatus species statuant diuersas.

X.

Adeoque similitudo tantum in eo versetur, quod Optimates in vtroque statu Participes Principatus sint.

Cum etiam in Principatu Senatum esse oporteat; qui fere participat maiestatem seu summam reipublicæ ipsam. vid. supr. sect. 4.

XI.

Diuersitatem vero generis ideo integram manere censemus, quod in Aristocratia Principis seu Præsidis vel perexiguæ vel nullæ sint partes in summa rei.

Cum Senatus sit supra eundem, & Maiestatis iure pra suo præside seu Principe in hoc statu sit, vt Princeps ipse præ Senatu in Principatu Monarchia.

XII

Quodque rursus in Monarchia quidem partes Senatus sint aliquæ, sed ita vt Princeps potestate suprema seu Maiestate prorsus sit supra eum.

Vt interim Senatus Principis, hoc est, Principatus quasi pars sit. Quod pluribus docuimus supra sect. 4. *& latius* sect. 5. *quam vide in hanc rem per totam, quippe qua mutuum ius Principatus & Senatus explicatur plene.*

XIII.

Rursus similitudo aliqua est inter Aristocratiam & Democratiam, verum ita quoque vt genere maneant omnino separatæ.

Cum Maiestas vel Summa Reipublicæ in statu Optimatum tantum apud Optimates sit, in Democratia vero & vna apud populum vniuersum, puta quatenus is ad suffragia admittitur.

XIV.

Similitudo igitur vtriusque huius in eo est, quod neuter constet sine Senatu, tanquam capite & rectore necessario ciuitatis.

Sic enim Athenis, sic Romæ, sic in omni statu populari certus Senatus est. Qui ob consilii necessitatem nonnullis anima, nonnullis vita ciuitatis dictus est.

XV.

XV.

Generis vero diuersitas in eo superest, quod Senatus in Democratia magis administrationem reipublicæ, *a*) quam eiusdem summam habeat, in Aristocratia vero Senatus ipse Principatum hoc est summam ipsam.

a) Licet ea nonnunquam etiam apud certos magistratus sit, qui in ius quæ ad rempublicam pertinẽt, quoties eius rei occasio est, consulant Senatum, & nonnunquam in diuersis consiliorum generibus etiam, corpora (quæ in hoc sunt) eiusdem diuersa. Vti hodie in plerisq; ciuitatibus præcipuis Magnæ Germaniæ, Augustæ inquam, Norimbergæ, Coloniæ, Vlmæ, Consules, in rebus grauioribus Senatum consulunt.

XVI.

Minus vero similitudinis Principatus cum Democratia habet, eo quod in Principatu teneat imperium supremum vnus, in Democratia vero plurimi.

Itaq; quantum distat vnus ab omnibus, tantum hi duo status differre inter se videntur; tantum item quantum species duæ extremæ generis vnius. Vt prope nulla statuum comparatio minus necessitudinis constituere videatur.

XVII.

Genere igitur hi duo quidem non leuiter, imo vero valde differunt, est tamen aliquid in quo comparari queant; idque rursus in authoritate Senatus.

Eum nimirum in omni statu esse necessario oportet, Dominatu

minatu excepto. Hic tamen ne effectu Senatus destituatur, consilium Prudentium loco eiusdem habet. Sed hoc interest, quod dominator consilio suo minus sit astrictus quam Senatui Princeps, adeoque consilium ipsum pendeat à dominatore, nec quid agere nisi ex eius praescripto possit.

XVIII.

Neque vero simpliciter, sed ita etiam, vt, velut in Principatu Senatus participat vna summam rei, sic etiam fiat in Democratia.

Quod tametsi nonnullis mirum videri queat, verum tamen esse his argumentis euincitur: Quia Senatus etiam in democratia deliberat ac decernit seorsim; item, quia Senatus etiam in democratia plerumq; perpetuus est, adeoque reipublicae (populo non collecto) plerunque sustinet curam.

XIX.

Dominatum proinde vix quicquam similitudinis cum vllo ceterorum habere deprehendimus, excepto eo quod aliqua ex parte comparari principatui queat, cui adiuncta Senatus authoritas est.

In eo puta, quod vtrique praeest Princeps vnus. Principatus igitur vtriusq; huius status genus est, sed ita vt Dominatus vnius (cui puta omnia ad nutum parent sine consulendi Senatus alicuius necessitate) speciem & nomen Dominatus induat, Principatus vero in specie nomen suum retineat; idq; siue eum regnum, siue Principatum, siue Ducatum, siue Comitatum dicamus. Tametsi Latini authores haud raro nomen regni pro dominatu ponant. Dominatum vero eius-

eiusmodi Princeps Turcarum in subditos suos habet; Dux Muscouiæ in suos; Rex Hispaniæ in Asia, Aphrica, America, Peruana.

XX.

Sunt tamen hæc quoque genere inter se diuersa cum alter sit purus, alter & vna ex Senatu compositus.

Senatus enim iure quoque suo participat è Principatu, Consilium Dominatoris non item. Nisi tamen Principatus huius ciuitatis Dominatum possideat in ciuitatem aliam, vt Hispani in regiones exteras illas, Romani in prouincias olim.

XXI.

Diuersitas igitur maxima in eo est (& quidem tanta quantam inuenire inter ceteras difficile sit) quod nulla inter hæc genera connectio sit ex necessitudine Senatus.

Cum eum cæteri status omnes habeant, puro hoc vno excepto.

XXII.

Sed & hæc cessare videtur vbi vel Principatui, vel statui aristocratico, in terras externas Dominatio est.

Vt in exemplis ad aphor 20. *Principatum enim in iis Reges seu Principes domi habent, foris dominatum. Sed hunc ipsum quoque vna cum Senatu Reipublicæ dominantis.*

XXIII.

Quanquam & eodem casu diuersitas illa

non

non cesset, si regiones ac populos ipsos intueamur in quos Dominatio exercetur.

Cum illi, quanticunque sunt, subditi sint, nec quisquam eorum, nisi ex beneficio dominantum, in republica iuris quicquam habeat. Multo minus Senatus ex iis est reipublicæ causa. Nam quæ ex iis decurionum plerumque vel similium magistratuum corpora sunt, ea quidem quasi Senatum, ob similitudinem consilii capiendi, referunt. Senatus re ipsa non sunt.

XXIV.

Eorum igitur respectu quali quali modo illa dici pura potest, idque ob vniuersam disponendi de summa rei potestatem populo ademptam.

Licet respectu Senatus quem Princeps in republica dominante sibi adiunctum habet, re ipsa vix pura sit, præterquam vbi Dominator imperat solus, vt in Persia rex, in Turcia Imperator, in Moscouia Magnus Dux.

XXV.

Quicunque vero cuiuscunque generis status in abusum nimiæ seueritatis deducitur, nec iustas imperij leges, aut mores rite receptos obseruat, sed eos transiliendo in oppressionem ciuium contendit, tyrannis dicitur.

Vt tamen ea res etiam magistratui maiori applicari possit; qui puta legitima sibi commissa potestate abutitur in crudelitatem.

XXVI.

Consequens est vt agamus de Comparatione ci-

ne ciuitatum singularum. Quarum si ex præstantissimis aliquas delecturi simus, in primis occurrit status Romanorum conferendus cum Laconum, Carthaginensium, Parthorum.

Cum duobus quidem prioribus magis ob similitudinem qualemcunq; status, cum posteriori vero ob causas infra referendas.

XXVII.

Et quidem Lacones cum Romanis maximam habuisse cognationem videntur, *a)* in eo tamen diuersi fuere, quod Romani sine Rege fuerint, *b)* Lacones non item, *c)* illi iure scripto, hi moribus recepto vsi sint *d.*

a) *Cum statu non prorsus dissimiles fuerint, & vtriq; via virtutis contenderint ad eximiam gloriam famæ.*

b) *Comparationem enim hanc, quod ad Romanos attinet, accipimus de tempore quo vixerunt sine Rege aut Principe.*

c) *Licet Rex eorum etiam, non nisi in bello summam exercuerit potestatem.* d) *Qua re vel maxime Romani præstitisse creduntur Spartanis, vsu & studio omnis iuris & æqui.*

XXVIII.

Carthaginenses denique Romanis etiam similem statum Popularem habuere, virtute quoque parum imparem; *a)* sed institutis, vel & heroum copia longe infra eosdem fuere *b.*

a) *Licet enim gesta eorum quam minimum celebrata sint Romanis, ipsiq; clarorum scriptorum copia fuerint destituti, compluribus tamen argumentis con-*

tis conuinci præclara eorum virtus potest.

b) *Romanis enim exercitibus ab Hannibale fractis nunquam eis fortissimi ductores defuere. Fracto in Aphrica semel Carthaginensium Imperatore eodem, subacta penitus vniuersa res horum est.*

XXIX.

Ad Parthos quantum attinet, hi statu regio constitere, ideoque Romanis non nisi inuicta virtute fuere comparandi, ni & imperij latitudinem addas.

Neque enim Parthi Romanis virtute inferiores fuere, quin & diuersos eorum exercitus fregere. Quãtum vero ad imperii magnitudinem attinet, comparati quidem fuere illis, nescio tamen an satis recte. Cum id omnino constet Romanos & plures & florentiores multo populos subegisse. Inuicta igitur Parthorum virtus potissimum effecit vt compararentur Romanis. vid, Plutar. in Crasso & Antonio.

XXX.

Macedones fortasse Parthis rectius compararentur, nisi quod illi his ambitione & cupiditate gloriæ longo ordine ante fuere. *a)* Massiliensibus vero vetustis, Venetos æui nostri in multis comparare daretur *b.*

a) *Sed & repentino fulgore victoriarum; idque sub Alexandro potissimum. Licet enim Parthi quoque ex improuiso emerserint, non tamen ea celeritate in fastigium imperii progressi, qua Macedones fuere.*

b) *Quod multis nominibus commendata veteribus ciuitas*

uitas Massiliensium sit, vti & hodie Veneti multis nominibus commendantur. Quin & statu in multis conuenire videntur, licet comparatio eorum fieri absoluta nequeat, quia Massiliensium status minus plene est ad nos delatus.

XXXI.

Heluetios nostros Ætolis antiquis, Belgas Achæis, vtcunque comparare licebit.

Idque non tantum ob statuum, partim popularium, partim optimatum similitudinem, verum etiam ob fœderum vniuersalium, quæ ciuitates seu respublicæ omnes eæ inter se vel fouent, vel fouerunt similitudinem conuenientem.

XXXII.

Quin & Venetos fortasse Laconibus commodius quam Romanos comparare detur, licet dux Venetus à Rege Spartano differret plurimum.

Licet enim Rex Spartanus domi vix paulo plus iuris habuerit, quam Venetorum Dux, foris tamen in bello iure plerorumque regum vsus videtur. Arist. in Polit. *Quod Duci Veneto permissum non est.* Contaren.

XXXIII.

Denique & Romam sub Principibus constitutam statui Hispanorum hodie in multis conferre dabitur, licet differant interim in multis.

Romanis enim domi Principatus erat, vti & hodie Hispanis,

ſpanis, in exteris vero prouinciis vtrique, dominatus exercitus eſt. Romani tamen dominatu ſuo paulo liberalius vſi videntur, eo quod complures vrbes, imo regiones, & prouincias vniuerſas priuilegiis iuris Italici, libertatis, immunitatis, & ſimilibus donarint, quæ Hiſpani parcius largiri gentibus deuictis videntur. Sed & Hiſpani in nullam Prouinciam Europæ ſuæ ditionis, dominatum, ſed tantum principatum habent.

Finis coronat opus.

